image
not
available





RHETORICA ECCLESIASTICA AD TYRONUM INSTITUTIONEM,

Cum brevi Appendice

Nonnullarum Orationum, quæ tùm in Oratoriis privatis, tùm in Spiritualibus Exercitiis tempore Missionum haberi solent.

AUTHORE

D. THOMA BARI

SACERDOTE CAMPIENSI.





NEAPOLI, M. DC. XCI.
Ex Typographia Jacobi Raillard.
Superiorum permissu, & Privilegio.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]


[illegible]

[illegible]

[illegible]


[illegible]

[illegible]



VIRGINI DEIPARÆ,

Integerrimæ Puritatis Matri,



Ullùm penè, dixerim, ex privatæ palestræ tenebris in publici juris lucem prodit Opus, quod Patroni alicujus nomine signatam haud præseferat frontem: Hac equidem ratione, ut illius fultum præsidio tutiùs per Orbis oras vagetur; & si non proprio, alieno saltem ex merito lectoris sibi benevolentiam paret, vivendi perennitatem

acquirat. Hunc ego Scriptorum morem sanè non improbo; quin & ultroneus sequor; Nihil enim in meo vulgari Opusculo dignum reperio, quod gratiam apud emunctæ naris viros promereatur; adeòq; in despectum fortasse abiret, vixque ortum oblivionis occasum offenderet, si patrocinio vacuum publico usui committerem. Sed nec Patronum utcumque, aut undelibet quærere satis duxi. Magni, ac superni Numinis tutela communiendum fuit; id Operis instituto exigente; ut, quoniam Evangelicas Veritates suadendi, piosque erga res spirituales affectus excitandi artem docet, nec quidquam Oratoriæ facultatis vires ad id prosunt, nisi occulta vis desuper Arti pondus faciat, Divinoque afflatu voluntas humana excitetur; meritò in tàm operosæ Artis opem Divinum sit præsidium postulandum. Tibi igitur, ò Virgo Deipara, perpetuæ Puritatis Mater, Opus hoc sisto; te in Patronam accieo. Aliam postulari dexteram, aut præstolari auxilium non

de-

decuit; Tu enim advocationem nostram agis in Cœlis, eòque sedulò incumbis, ut quicumque à veritatis via per peccatum aberrat, ad Cælestis Patriæ sinum per pœnitentiam revertatur. Quod non solum per te apud Deum Patrem in Cœlo; verùm & per alios præstas in Terris, cùm Evangelicæ Vineæ cultores ad laborem adiuvas, & in eorum labore fructus operaris uberrimos. Tibi itaque, atque uni tibi, Animarum lucro jugiter laboranti, mea hæc lucubratio, Animarum saluti intenta, debetur. Quid quòd tuis auspiciis cœpta, tuo favore promota, & absoluta est? E Maris sinu flumina oborta, eòdem postmodùm refluentia, mare non respuit. Quidquid est in hoc libro, abs te est: redeat ad te, vivat per te; & tui Numinis tutelæ subiectum, excipe libens, fove propitia. Munus quidem exiguum; sed Affectum metire potiùs, quàm censum. Vellem equidem majora tibi jam dedere, ut innumeris beneficiis tuis, quibus obstrictus vivo, gratum animum exhiberem;

rem;

rem; sed per vires non licuit. Accipe, quæso, quod potui: Redona, quod optaram: Et interim si quid merui, hoc unum præsta, hoc unicè rogo, ut, sicut ego beneloquendi Artem Tyrones doceo; ità & tu, cùm apud æterni Judicis tribunal causa agetur mea, prompta adsis, parata assistas, & *pro me loquaris bona*.

Humillimus Cliens, ac Servus inutilis
D. Thomas Bari.

Authoris protestatio Ad Lectorem.

TEmerè factum putes, si quis re militar leviter instructus, ipsos emeriti stipendii Duces arma gerere, aciem dirigere, hostem subiicere audeat edocere: & cum peritioribus disciplinæ bellicæ Magistris se exæquare confidat. Hanc ipsam temeritatis notam mihi abs te, Lector, inuri non decet; numquam enim id mihi suscepi, ut emeritos Oratoriæ Artis Professores æmulari contenderem. Pusillitatis meæ memor ad sublimia Eloquentiæ fastigia caput attollere non sum ausus: Majorum celsitas demiranda est, non affectanda. Sed ne gnaris quidem, & in Arte versatis Viris Artis leges præscribere fuit in animo; quis enim adeò imprudens, ut Delphines innare doceat? Quod ad scribendum impulit, Authoritas fuit jubentis, non præsumptio mentis. Idque non ut paranda mihi gloriæ iter patefieret (Ridiculum quippe foret laureolam in mustaceo quærere) sed ut brevem, & facilem discendi methodum Tyrones haberent. Ideò praxim addidi, & exempla, Gerulorum, ut ait ille (1) morem secutus, qui Pueros suos non modò pedes alternare, sed etiam manuductos praeuntes sequi docent.

(1) Radau. in Prælocutione.

cent. Alii igitur meliùs, ego breviùs: Illi ornatiùs, ego ad tyronum institutionem fortasse accommodatiùs. Caterùm quæ scripsi, ex aliis accepi, de meo penè nihil: Quin & aliorum verbis sæpè loqui placuit, præsertim in iis, quæ nec clariùs, nec breviùs dici potuisse visa sunt; ut, quod alieni laboris est, planiùs agnosceretur, ipseque illorum auctoritate tutiùs incederem, & maiorem Operi fidem compararem. Laborem hunc, utut est, benigne Lector, æqui, bonique facito: Et si Tyro es, lege; habes enim multa, quæ discas: Sin minus, etiam legere haud pigeat; erunt enim plurima, quæ humanitas excuset tua. Vale, & fruere.

EMI-

EMINENTISS. SIGNORE.

D. Tomaso Bari desiderando dare alle Stampe un Librettino intitolato *Rhetorica Ecclesiastica* da se composto, supplica V. Em. perche ne commetta la revisione, à chi meglio le piacerà, ut Deus.

Rev. Canonicus D. Carolus Celano videat, & in scriptis referat. Dat die 15. Novembr. 1690.

SEBASTIANUS PERISSIUS VIC. GEN.

EMINENT. DOMINE.

Jussu Eminentiæ Tuæ sedulò vidi librum, cujus inscriptio *Rhetorica Ecclesiastica* Authore Admod. R. D. Thoma Bari, nihilq; in eo reperi, quod Sanctæ Fidei, vel bonis moribus obstet. Immò nil habet, quod utilitatis, & directionis non sit piis, & Evangelicis Orationibus; Typis igitur mandari poterit si ita Eminentiæ Tuæ visum fuerit, Neap die 20. Januarii 1691.

Em. Tuæ Rev.

Humill. & Addictiss. Servus
Canon. Carolus Celanus.

Visa suprascripta relatione. Imprimatur. Dat. die 8. Martii 1691.

SEBASTIANUS PERISSIUS VIC. GEN.

D. Eligius Caracciolus C. R.

EC-

ECCELLENTISS. SIGNORE.

D. Tomaso Bari, perche desidera dare alle Stampe un Librettino intitolato *Rhetorica Ecclesiastica*, supplica V. E. perche ne commetta la revisione à chi meglio le parerà, e l'haverà à gratia, ut Deus.

Rev. Pater D. Antonius Torres videat, & in scriptis referat.

CARRILLO R. SORIA R. MOLES R.
MIROBALLUS R. JACCA R.

Provisum per S.E. Neap. die 27. Martii 1691.

Spect. Reg. Gaeta non interfuit.

Anastasius.

EXCELLENTISS. PRINCEPS.

Ex Commissione E.T. legi opusculum, cui titulus *Rhetorica Ecclesiastica*: in eo nihil Regiæ Jurisdictioni non consonum; cum Evangelicæ vis prædicationis & ad effrænes coercendos populos, & ad reddendos Divinis, Humanisque legibus obsequentes valeat apprimè. Quarè poterit Typis mandari. Ædibus S. Nicolai die 28. Martii 1691.

Servus addictissimus
D. Antonius Torres Piorum Operariorum.

Imprimatur, verùm in publicatione servetur Regia Pragmatica.

CARRILLO R. SORIA R. MOLES R.
MIROBALLUS R. JACCA R.

Provisum per S.E. Neap. die 3. Aprilis 1691.
Spect. Reg. Gaeta non interfuit.

Anastasius.

VA-

VARIA IN AUTHOREM, ET OPUS
EULOGIA.

D. CAROLI MACI,

SACERDOTIS CAMPIENSIS.

Saxea dum mollit cantu, dum pectora mulcet,
Threiciam celebrant Sæcula prisca lyram.
Carmine sistit aquas, montes docet illa moveri,
Illa docet gentes, dum loquiturque, loqui.
Suavior at Thomas, Thomas magè dulcis at Orpheus;
Eloquii sacros edocet arte modos.
Lector, cerne vetus quàm cedat fabula Thomæ:
Illa profana docet dicere, at iste Deum.

D. CAROLI ANDREÆ MARTII

SACERDOTIS SALENTINI

Non hìc elato prostat fucata colore,
Elatovè tumens Suada supercilio.
Nequaquàm hìc gerras, non sesquipedalia verba,
Ad Populi plausum, texere norma datur.
Suada quidem hæc est, sed casto bene compta decore,
Doctaque Apostolica corda ciere tuba.
Hanc igitur vultu complectere, Lector, amico;
Præbe & in æternum cedrina μνημόσυνον.

D. JOANNIS BAPTISTÆ

NOTARANGELI SACERDOTIS.

Rhetorices edunt immensa volumina multi:
Novimus exiguum te lucubrasse librum;
Omnia qui paucis complectitur, omnia clarè:
Hinc liquet, ingentes exuperasse tomos.
Ærea sic magnæ quàm multa numismata molis,
Aurea plus, quamvis parva, moneta valet.

Ejusdem.

Parodia ex M. Val. Martial. lib. 10. Epig 4.

QUi legis Aphthonios, caligantesque Sophistas,
Marcos, & Fabios, quid nisi vana legis?
Quid tibi fucus iners, quidnam tectoria lingua,
Quid tibi bullatum proderit Eloquium?
Prædulcesvè tropi sciolis vecordibus, aut quod
Emittit cassos futile schema sonos.
Quid te vana juvant levium ludibria vocum?
Hoc lege, quod possis dicere jure, bonum est.
Non hic ampullas, non tricas, illecebrasque
Invenies: Animam pagina nostra juvat.
Si verè vis ergo pios inducere mores,
Et scire, ista legas dogmata Rhetorices.

PETRI DE SIMONE.

DISCIPVLI OFFICIOSISSIMI.

VErna dies vultu placido vix redditur Orbi,
Pictaque florenti germine ridet Humus:
Prodit Apis linquens ceratum corticis antrum,
Compleat ut vacuos sedula melle favos.
Evolat huc, illuc: lectis circumstrepit herbis:
Perfusis hæret floribus imbre comas.
Narcissi lacrimam carpit, tenuemque liquorem,
Insidit calthis, libat odora tymos.
Inde rosas petit, inde Crocos, violasque, Hyacinthos;
Roratas molli gutture sugit aquas.
Mox ad tecta redit liquenti pondere onusta,
Et stipat ceris aurea mella suis.
Haud aliter Thomas celebres adit Arte Magistros,
Dogmataque ex illis utiliora legit.
Construit inde suum mira brevitate libellum,
Nectare jucundum, non minùs ingenio
Quin longè jam præstat Apum labor iste labori:
Mel linguam mulcet, Corda sed iste movet.

Ejus-

Ejuſdem.

Commendatur Authoris Patria.

V Ndique luxuriant tua circùm frugibus arva,
Finitimos Populos ubere meſſis alis.
Hinc tibi triticeæ ſurgunt pro ſtemmate ariſtæ;
Hinc reſonant nomen proxima quæque tuum.
Tanta es, Corporeæ quòd vitæ alimenta miniſtras;
Quòdque foves eſcis corpora fluxa tuis.
Quanta eris ergo, tuò cùm nunc è germine prodit,
Unde habeant animæ vitæ alimenta ſuæ?

NICOLAI PERELLI

DISCIPULI PERBENEVOLI.

H Eu, quot cæca modis hominum mens deviat! Eheu,
Quàm facilè vitiis flectitur ipſa ſuis!
Hos agit in ſordes fæda petulantia Carnis,
Et putrent miſeri tabe Cupidinea.
Hi vanos vigili ſtudio ſectantur honores,
Ventoſa inſomnes ambitione furunt.
Sæva urgent alii Populos ditione per Urbes:
Auro alii vendunt Jus, Patriamque, ſuos.
Nulla fides uſquam, concordia nullibi; ubique
Furta, doli, inſidiæ, jurgia, bella, neces.
Ergo tamnè ingens Animarum turba peribit,
Obvia nec tantis ſit pia dextra malis?
Hoc Opus, abjecta prodit quod fronte, monendi,
Atque movendi animos dogmata ſacra docet.
Hujus ope à Vitiis Animas devellere, & Orco
Ereptas poteris restituiſſe Deo.
Perlege Apoſtolicam quiſquis contendis ad artem,
Parva via est, methodus plana, laborque levis.

NICOLAI DE ANNA.

QVisquis Apostolici quæras attingere culmen
Muneris haud longa, difficilique via.
Huc huc: exiguo docet ecce volumine Thomas
Nemine doctrina, vel pietate minor.
Hoc opus Angelicum sanè: brevis esse laboro,
Obscurus fio, Flaccus in arte canit.
Hic verò in parvo mira brevitate libello
Omnia Phæbeo clariùs ore micant.

Ejusdem.

COrpora Niligena quæ lumine cassa vehebant
Ad tumulum, Baris parvula cymba fuit.
Ad vitam, portumque animas jam funere mersas,
Præco sacer, Bari, quis revocare, duce.

PETRI DE ANNA.

DEciduos quicumque velis decerpere flores,
Qui citò marcentes utilitate vacant:
Sponte tua potes hinc aliò convertere gressus,
Quò nugatorum perdita turba vocat.
At si te fructus captant: hic fervidus instes:
Tam facilè invenies nullibi, quidquid amas,
Indicat ecce via Thomas breviore disertus,
Qua possis amplos arte replere sinus:
Inde tot exsaturans animas recreare misellas,
Quæ tabent ægra, depereuntque fame.
Huc accede igitur, florumque evanida mitte
Pratula, si sapias, nil opis inde feres.
Floribus egregios quisquis præponere fructus
Ambiget, hic equidem stultus habendus erit.

Del

Del Dottor

GIOVANNI CANALE.

SONETTO.

TOMASO, ò tu, ch'ad instruir gl'Ingegni
Per condur l'Alme al Ciel, trarle dal Mondo
In poche Carte alti Instituti insegni
Col chiaro stile, e col saper profondo;
Con penna industriosa à i fogli or segni
Il modo di fuggir dal Mondo immondo,
Gl'Imperiti rendendo e saggi, e degni,
In brevi note dicitor facondo.
Delle Norme erudite al tuo governo
Fia da giovani Alunni instrutti appieno
Ricco l'Empireo, e povero l'Inferno.
La Dea volante or tè d'Encomj pieno
Porta per l'Universo à farti eterno
Del Campiese suolo Angel terreno.



Del Dottor

GIVSEPPE CASTALDI.

S O N E T T O.

Autentiche di fede il Ciel'ammira
De' Tomasi le penne. Ecco a' tuoi lampi,
Raggi del Sol d'Aquino, ò fior de' Campi,
Oscura i suoi miracoli Stagira.
D'Ogni Greco saper l'Arte delira,
Se di voci, e di penne avette i scampi;
Mà d'Alme eterne à riparar gl'inciampi
La Rettorica tua, Tomaso, aspira.
Ristretta in pochi fogli il Ciel raduna
D'un abisso di luce opra sì chiara,
Al cui splendor ogni virtù s'imbruna.
Non è d'Eroi la nostra Etade avara,
Degli Alunni di Piero ecco la Cuna,
De' Maestri d'Atene ecco la Bara.



INDEX

Quæstionum, Capitum, Sectionum, Articulorum, & Punctorum, quæ in Ecclesiastica Rhetorica continentur.

PARS PRIMA.

De Inventione.

CAPUT I.

CAPUT II.

CA-

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

fe-

PARS SECVNDA.

De Dispositione.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CA-

plex.


PARS QVARTA.

De Pronunciatione.

CAPVT I.

CAPVT II.

LAUS DEO.



Rhetorica Ecclesiastica quid sit.

QUÆSTIO PRIMA.

TRiplicem (1) Eloquentiæ Speciem præmittimus, antequam Ecclesiasticæ Rhetoricæ Naturam, & Essentiam statuamus.

Prima eloquentia prorsus divina est; nullis enim Scholasticis Præceptis addiscitur; sed ab unò Deo, qui linguas infantium facit esse disertas, infunditur; hujusmodi fuit illa Apostolorum, quibus à Domino dictum est: *Nolite cogitare quomodò, aut quid loquamini; dabitur enim vobis, &c.*

Secunda dicitur Heroica, quæ non infusa quidem, sed humano simul labore, & studio comparata, simulque meliori quodam Cœli ubere irrigata, ad miram pulchritudinem effloruit. Talis fuit in DD. Basilio, Gregorio Nazianzeno, Chrysostomo, Cypriano, Aliisque S.S. Patribus, qui, quòd suprà commune dicendi Genus eloquentes fuere, Heroes à nonnullis appellati sunt.

Tertia tandem prorsus humana est; ea namque ab humanis Præceptoribus, & per Præcepta

(1) *Caussinus lib.1.in Præfatione.*

habetur, in hac excelluit Demosthenes, Cicero, aliique primæ notæ Oratores.

Prior eloquentia ad institutum nostrum non pertinet; pertinet quidem secunda, & tertia; siquidem Ecclesiastica Rhetorica, de qua loquimur, humanam complectitur, & Heroicam; ità enim Regulis, & præceptis innititur, ut plura speret à Deo, quàm à Natura, & Arte.

Sic autem à P. Amadæo Bajocensi describitur: (1) *Est habitus, & facultas Animi, ab Arte, & Natura (Deo afflante) Collatus, ad dicendum ornatè, & fæliciter de rebus omnibus, quæ in Quæstionem vocata, Gloriam Dei, & Hominum salutem promovere possunt.*

Qui finis Ecclesiastici Oratoris, Quod Officium, Quævè ipsiusmet Officij Partes.

QUÆSTIO II.

Duplex in Sacro Oratore finis, quorum alter alteri subordinatur, & ad eum dirigitur, tamquàm finis non ultimatus, seù medius, ad ultimum. Prior finis est persuadere dictione id, quod ad Animarum salutem conducit. Posterior, ut talis persuasio Unicam Dei gloriam respiciat, quam in omnibus præ oculis habere, & enixè quærere debemus.

Officium est benè dicere, seù dicere accommodatè ad persuadendum.

Ut autem benè dicat, debet Orator res invenire; inventas disponere; dispositas, verbis, & sen- ten-

(1) *In suo Paulo Ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 1.

tentiis exornare, exornatas memoriter, aptèque pronunciare.

Ad persuadendum verò necesse habet tria facere: Docere, vel probare; delectare; flectere; ad quorum ultimum priora illa duo, & cætera alia Oratoriæ artis diriguntur, tamquam ad finem.

Docemus propter ignaros; non enim in corde recipi, vel ad praxim redigi potest, quod ignoratur.

Delectamus, ut attentio concilietur distractis, & fastidientibus tædium levetur.

Flectimus obstinatam Auditoris duritiem, ut in nostram sententiam redactus, amet quod pollicemur; timeat quod minamur; oderit quod arguimus; quod commendamus, amplectatur; quod dolendum exaggeramus, doleat; & quod lætandum prædicamus, gaudeat. Hæc ex D. Aug. lib. 4. de Doctr. Christ.

Hinc colligitur, Docere esse necessitatis; delectare jucunditatis; flectere victoriæ.

Docet Orator argumentatione, ut placet Quintiliano (1): vel cum Dei (2) voluntas, divinaque præcepta clarè Populo aperiuntur; dogmata Fidei; Christus, ejusque mysteria declarantur.

Ad delectandum juvant loca Sacræ Scripturæ, sapienter, & ingeniosè explanata; pulchræ, atque elegantes, Metaphoræ, Allegoriæ, Figuræ, exempla, descriptiones, & præ cæteris Ordo, & Ornatuum varietas.

Flectere demùm seù movere Auditores, & in quemcumque volumus animi habitum transformare, fit per acriores sententias, & Affectuum motionem.

A 2 Quot

(1) *Quintil. in proœm. lib.* 8. (2) *Paul. Eccles. lib.* 1. *cap.* 2. *art.* 2.

Quot nam, & quæ requirantur ad Ecclesiasticam eloquentiam comparandam.

QUÆSTIO III.

AD Sacrã eloquentiam parandam quinque (1) sunt necessaria: Deus, Natura, Ars, Exercitatio, Imitatio.

DEUS.

PRimaria Christianæ eloquentiæ causa, Deus est, à quo totum humanæ salutis negotium pendet, & sine quo nihil in Apostolicæ Prædicationis ministerio proficitur. Eo docente, discimus; Eo dictante, loquimur; Eodem excitante, Peccatorum animi ad Pœnitentiam commoventur; Hinc Matth. 10. 20. *Non estis vos, qui loquimini; sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et D. Gregorius (2) *Nisi corda Auditorum Spiritus S. repleat, ad aures corporis vox docentium incassùm sonat.* Deum igitur principem, imò & unicum Evangelicæ Eloquentiæ Authorem quisque agnoscat; à Deo sufficientiam demissè exoret; Deo innitatur; mox Naturæ dotes, Artis industriam, exercitij, atque imitationis laborem, ne quid penso suo desit, in Apostolicum munus impendat.

NA-

(1) *Paul. Eccl. lib. 1. cap. 2. art. 2.*
(2) *Greg. Homil. 30. in Evang.*

NATURA.

Natura eſt,quæ primas opportunitates, habilitateſque omnibus facultatibus, hominiſque potentiis elargitur. Ab ea proficiſcuntur omnes illæ Corporis, Animique dotes, quæ in Oratore deſiderantur.

Corporis,ut ſunt:Vox canora,& flexibilis;lingua expedita ad clarè, & articulatè pronunciandum;firma latera; Otis, & totius Corporis cum Rebus dicendis venuſta, & ingenioſa conformatio.

Animi, ut ſunt: Ingenij acumen ad inveniendum;Prudentia ad diſponendum; facilitas ad explicandum:Elegantia ad exornandum; memoria ad retinendum; & verecunda audacia ad dicendum.

Hæ Naturæ dotes ſi deſint, parum proficitur in hac Arte; ſiquidem,ut inquit Laertius (1) *Minerva, & ingenio refragante, fruſtrà, etiam in Rebus minimis, laborabis*. Negandum tamen haud eſt, poſſe labore, & exercitio complures naturæ defectus ſuperari.

ARS.

Ars eſt præceptio,quæ dat certam viam, rationemque dicendi; ea namque de tota concione parandà,ſingulíſque ejus membris conſtruendis,Regulas tradit, & præcepta; docet enim quomodò efformanda, & dividenda ſit propoſitio. Eadem fontes apetit,ſeù promptuaria, ex quibus argumenta, & rationes deſumuntur ad rem probandam,& affectus ciendos. Ars docet qua ratione inventa benè diſponantur; diſpoſita venuſtè

(1) *Lib.3. cap. 1.*

exornentur; Exornata aptè pronuncientur. Artis tandem beneficio fit, ut non fortuitò, non insulsè, neque inordinatè dicamus; sed omnia scitè, solerter, & regulatè; quæque vi suâ benevolentiam Auditoris lucrentur, animum incendant, & ad id, quod volumus, voluntatem moveant, ac flectant.

EXERCITATIO.

Exercitatio est assiduus usus, consuetudoque dicendi. Ea verò quàm necessaria fit, disce ex omnibus ferè Artibus, quæ non solis Præceptis, sed usu, & exercitio perficiuntur, quare Ovid. *Artifices unus qui facit, usus erit*. Qui ergo ad ingenitas naturæ dotes artis cultum, & disciplinam adiecit, curet utramque perficere usu assiduo, & frequentatione tùm legendi S. Scripturam, Sanctorum PP. aliorumque insignium Ecclesiæ Oratorum volumina; tùm etiam scribendi; nam, ut ait Cicero (1) Exercitium in scribendo, seù in efformando stylo, est præstantissimus dicendi effector, & magister; & experimento addiscitur, quod qui à scribendi consuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem, ut etiam si subitò dicat, tamen illa, quæ dicuntur, similia scriptorum esse videantur. Adde tertiò usum, & frequentationem dicendi; Unius etenim, aut alterius concionis repetitio eloquentem non facit; sed ex dictionis, seù declamationis frequentatione facillimè, ac libertimè dicere assuescimus.

IMI-

(1) *Lib. 1. de Oratore n. 150.*

IMITATIO.

POstrema est imitatio, cujus tanta vis est, ut à nonnullis vocetur compendiosa ad quasi ũque Disciplinas consequendas via; facilè enim effingimus, quod in alijs videmus, & non multo labore Pictor Apographum efformat, si Autographum præ oculis habeat.

Uberem imitandi facultatem præbent, non modò quæ apud alios legimus, sed & quæ ab aliis audimus.

Tyronem igitur imitaturum, oportet legere, non plurimos, non quoslibet; sæpè namque accidit, ut nimia librorum copia ingenium dissipet; varietas verò confusionem pariat; sed paucos, & selectiores.

In legendo autem (quod non cursim, non perfunctoriè; sed seriè fiat, & attentè) serventur ea, quæ à P. Ludovico Granatensi scripta sunt in sua Ecclesiasticà Rhetoricà (1) *ut scilicet in eo, quod legis, omnes dicendi figuras, sententias, Phrases, tropos, & quidquid postremò ad inveniendi, vel eloquendi rationem pertinet, diligenter animadvertas; ut hac ratione artis præcepta familiaria tibi efficias, & in promptu, & veluti ad manum posita semper habeas; multi enim sunt, qui disertissimorum virorum scripta legentes, quia sola rerum cognitione contenti, nihil de dicendi ratione advertunt, nihil prorsus in eâ proficiunt*. hæc ille.

Ad imitationem quoque juvat frequenter audire insignium Oratorum conciones, à quibus, præter verborum, sententiarum, & figurarum elegantiam, nec non argumentorum, argumentationum, digressionumque varietatem, aptam insuper vocis, Gestuumque moderationem edifci-

(1) *Cap. 1. lib. 2.*

ſcimus, ut in illis hæc diligenter obſervata, in nobis inde per imitationem exprimamus.

Nec tantùm celebres, primæque notæ concionatores, ſed rudes etiam & imperitos juvat (1) audire; eſto enim nihil in eorum concionibus obſervetur imitandum, quod difficile admodum eſt; nam ut cecinit ille:

Nulla adeò ſterilis tellus, mæſtumvè frutetum.
Germine quæ nullo, nullo quod flore vireſcat.

at erunt multa, quæ prudens tyro ſibi didicerit cavenda.

Varia imitandi Methodus.

ANtequam multiplicem imitandi modum tradamus, tria opus eſt in imitatione advertere.

Primum, ut ille nobis imitandus eligatur, qui in eodem dicendi Genere, & in ſimili cauſa, quam nos tractandam aggredimur, præſtantiſſimè verſatus ſit; Ridiculum enim foret, (2) ſiquis Ciceronem in Hiſtoria, in Oratione Saluſtium, & in Poëſi Demoſthenem ſibi ducem proponeret.

Secundum ut in illo, quem imitari volumus, non levia, & facilia; ſed optima, & exquiſitiora adnotemus, quæ mox diligenti ſtudio perſequamur, dummodò majora noſtris viribus non ſint.

Tertium tria in primis imitanda ſunt, Inventio, Diſpoſitio, & Elocutio, quæ ſunt præcipuæ Orationis partes. Adde & pronunciationem, ſi ex Pulpito res geratur.

Nunc de vario imitandi modo; & quidem Triplex eſt.

I. Cùm mutatur ſententia, verbis illuſtrioribus retentis, v. g. ſi transferre volumus illud Ci-

(1) *Granat. lib. 1. cap. 1.* (2) *Palat. Reg. Eloqu. exerc. 1. lect. 3. punct. 2.*

Ciceronis pro A. Licinio Archia: *Nisi multorum præceptis, multisque literis mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vitâ magnoperè expetendum, nisi laudem, & honestatem; in eâ autem persequenda, omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis, atque exilij, parvi esse ducenda, numquam me pro salute vestrâ in tot, ac tantas dimicationes, atque in hoc profligatorum hominum quotidianos impetus obiecissem.* Imitabimur sic: Nisi firmissimè habuissent martyres ex Christi Domini Præceptis, sacrisque literis, nihil esse in vitâ magis expetendum, nisi in fide Evangelicâ ad supremum usque diem fortiter perseverare; in eâ verò servanda, omnes cruciatus Corporis, omnia pericula mortis, & si quid morte ipsâ durius perferri potest, parvi esse ducendum; numquam pro ejusdem Fidei propugnatione tot Ærumnas, & labores, tot exilia, & carceres, tam quotidianos persecutorum impetus firmo, atque hilari animo sustinuissent.

II. Cùm mutatis verbis, sententia in re simili retinetur. Cicero pro M. Marcello: *Nec verò hæc tua vita dicenda est, quæ corpore, & spiritu continetur, illa, inquam, illa vita tua est, Cæsar, quæ vigebit memoriâ sæculorum omnium, quam Posteritas alet, quam ipsa Æternitas semper intuebitur, huic tu inservias, &c.* Quem locum sic imitaberis: Neque jam vitæ nomine dignanda est vita hæc; qua vivimus, quæ per animam, membris hisce infusam, habetur, quæ fluxa est, & brevis ad instar puncti, & si quid minus puncto esse potest; cujus initium lacrimæ, medium Ærumnæ, & labores, finem gemitus, & angustiæ comitantur; illa, inquam, illa est vita tua. Christiane, quæ nullo mortis confinio terminatur, nulla doloris amaritie afficitur; tota dulcis, & jucunda, tota felix, & beata, semper vivens, & numquam moritura, Æternùm manens, & cum Æternitate duratura. hanc desidera, huic labora, &c.

Cùm

III. Cùm sensus, & verba propè eadem retinentur. E. G. si primæ Catil. initium vertas in Peccatorem, pœnitentiam detrectantem, sic dices: Quousque tandem abutere, Peccator, divina Patientiâ? Quousque Dei Misericordiam, Paternasque ejusdem Voces, & Invitatus contempseris? Quamdiù insanies? Quamdiù novis usque sceleribus Divinam Justitiam exasperabis? Quem ad finem tua sese effrænata jactabit audacia? Nihilne inopinæ mortis pericula, nihil Æterna improbis parata incendia, nihil Dei ad vindictam extensa jam dextera, nihil de Peccatoribus toties repetita supplicia ab incæpto te revocabunt? &c.

Materia Ecclesiasticæ Rhetoricæ Quid. & Quæ sit.

QUÆSTIO IV.

Materia cujuscumque Artis ea est, circà quam versatur Ars. E.G. Medicinæ materia sunt morbi, & vulnera; Artis cælatoriæ marmora, &c. Unde Materiam Ecclesiasticæ Rhetoricæ eam appellamus, circà quam ipsa versatur; hæc autem est omnis propositio, sivè universalis, sivè particularis, quæ ab Ecclesiasta tractari potest ad Gloriam Dei, & Hominum salutem. dicitur aliis nominibus Thema, Quæstio, Causa, Propositum, & Argumentum.

Propositio universalis, seù infinita, quam Græci Thesim appellant, illa est, quæ nullis particularium circumstantiis includitur; sed per aliquod genus absque circumscriptione vagatur. E.G. an virtus sit colenda.

Pro-

Propositio particularis, seù finita, quam Hypothesim vocant, circumstantiis alligatur, habetque certas personas, res, loca, tempora, &c. E. G. An liberalitas viro diviti sit exercenda.

Notandum est, quod facilè Thesis revocatur ad Hypothesim, & è contrà v. g. hæc Thesis: Virtus est laudanda, facilè deducitur ad istam Hypothesim: Virtus liberalitatis est laudanda, quia liberalitas continetur in Virtute, tamquam species in Genere, & quod uni convenit, convenit & alteri. Hypothesis verò revocatur ad Thesim, tamquàm ad suum caput, sive Genus, quo continetur. v. g. Antequam probes hanc Hypothesim: liberalitas est laudanda, præmittere potes hanc Thesim, virtutem scilicet in genere esse laudandam: sic enim faciliùs convinces virtutem liberalitatis dignam esse, quæ laudetur. (1)

Notandum insuper quod diutiùs in thesi immorandum non est; sed quamprimùm ad Hypothesim hæc revocetur. Ratio est. *Quià cùm thesis latior sit, & universalior, nihil aliud ferè agit, quàm ut cognitio rei habeatur per definitionem, descriptionem, similesque locos communiores; ideòque speculativa sæpè fit tota, sensus, moresque minùs afficiat; sed Hypothesis, quæ circumstantiis angustioribus circumscribitur, non spectat tantùm quid sciendum; sed quid agendum sit, & quomodò; eòque impellit Auditorem rationibus, motibus, & aliis mediis, quæ voluntatem afficiendo, ad praxim eam flectant.* Hæc P. Amadæus Bajocensis in suo Paulo Ecclesiast. cap. 4 art. 1.

Quot

(1) *Vossius. Commentarior. Rhetor. part. 2. lib. 6. cap. 9. num. 1.*

Quot sint partes Ecclesiasticæ Rhetoricæ.

QUÆSTIO V.

Communiter ab Oratoribus quinque assignantur Partes Rhetoricæ, Inventio scilicet, Dispositio, Elocutio, Memoria, & Pronunciatio. Nos, quartà omissa, de reliquis tantummodò agemus; non quòd memoriter dicere Oratorem non deceat; sed quia aliud est de firmandà memorià præcepta tradere, aliud Oratorem monere, ut memoriter dicat. hoc posterius ad Rhetoricam, illud prius ad distinctam Artem pertinet. (1)

Oportet igitur Sacrum Oratorem, ad aptè dicendum, Res adinvenire, inventas disponere, dispositas verborum, & sententiarum luminibus adornare, exornatas memoriter, aptèque pronunciare. De quatuor hisce Partibus singulatim suo ordine dicendum erit.

De Inventione.

PARS PRIMA.

Cùm Inventio nihil aliud sit, quàm Excogitatio Rerum verarum, vel verisimilium, quæ propositionem probabilem faciant, ad rem pertinere arbitror, priùs nonnullas Regulas de Reperienda, efformanda, & dividenda propositione, inde Res, quibus propositio probetur, aperire.

De

(1) *Vossius ibid.*

De Propositione

CAP. I.

SECTIO I.

De nonnullis in reperienda Propositione servandis.

Ex multis, variisque Propositionibus, quæ ex Evangelici Textus Promptuario erui possunt, videat inprimis Orator, ut eam eligat, quæ magis Auditoribus conducere existimabit, in quo divinũ humiliter imploret afflatũ.

Deinde ut Evangelio, quàm maximè poterit, conformetur.

Tertiò observet tempus, cui accommodata, & congrua esse debet; imò sæpè tempus uberem fructuosæ Propositionis materiam exhibet.

Quartò Auditorum mores, ut ad eos præcipuè conculcandos, & extirpandos valeat, quibus pessimè Auditores afficiuntur; nec in illud vitium cadat Oratio, quod procul est ab Auditoribus.

Quintò Personarum qualitatem, ut quod dicitur, Audientium Captum non excedat.

Sextò Auditorum expectationem, ut cùm de aliqua præcipua, ac celebri materia audire Populus expectat, eorum expectatio non illudatur. v. g. de Hypocrisi, vel Eleemosyna in feria VI. Cinerum differendum non est, ubi de inimicorum dilectione expectatur sermo.

Septimò tandem suas ipsius vires metiatur, ut Propositionem non eligat, ad quam probandam, vires, & scientia non suppetit.

De modo efformandi Propositionem.

SECTIO II.

PRopositio, sivè Orationis Argumentum, per quod summatim ostendimus, quid probare velimus, & quò rationes, & Argumenta nostra dirigenda sunt, multis profectò modis efformari potest. Nos hìc faciliores, & usitatiores, pro tyronum captu, proponimus.

Primò. ad unum caput totum Evangelium reducemus, eòque omnes Evangelij partes revocare studebimus. E.G. in Evangelio Centurionis, *vivæ* Fidei efficacia noster fieret scopus.

Facilè ad unicam Propositionem revocabitur, cùm unicam doctrinam, vel historiam continuerit Evangelium: secùs verò, si Doctrinæ fuerint multæ, historia non una.

Sciendum igitur est, omne Evangelium reduci posse ad unicam Propositionem unitate, vel prædicati, vel generis, vel medii ad finem, vel similitudinis, vel alicujus moralis significationis.

Unitate prædicati, cùm aliquod personæ prædicatum aptabimus, quod diversis ejusdem actionibus conveniat. E.G. Christum in eodem Evangelio Socrum Simonis sanitate donantem, & obsessos à dæmone liberantem, Potentissimum prædicamus.

Unitate Generis, cùm Genus aliquod reperitur, quod complectatur, quotquot propositiones ab Evangelio educi possunt. E.G. in Evagelio Feriæ IV. Cinerum, ubi de Jejunio, de Hypocrisi, & de non thesaurizando in terris admonemur, Propositio Generica, hæc omnia complectens, erit;

Con-

Contemptus terrenorum omnium.

Unitate medii ad finem, cùm reliquas Evangelii partes ad propositum thema dirigimus, veluti media ad finem. E.G. in eodem Evangelio Fer.IV. Cinerum, finis erit: Thesauros in Cœlis aggregare; Media verò, Jejunium, & Humilitas.

Unitate similitudinis, cùm sub aliqua una similitudine partes omnes concordabimus. E.G. in eodem suprà memorato Evangelio· Bonos mercatores fore nos docet Christus, si merces comparabimus, quæ sunt Jejunium, & cætera alia bona opera; si caro à nobis vendita fuerint, quod nõ fit ab Hypocritis, humanæ gloriolæ fumo eas venditantibus; si tutè à nobis in Cœlo fuerint repositæ.

Unitate alicujus moralis significationis, cùm Historiam ad Doctrinæ consonantiam, secundùm aliquem sensum mysticum exposuerimus, ità D.Gregor: (1) *Hoc significat ficulnea infructuosa, quod mulier inclinata; & hoc ficulnea reservata, quod Mulier erecta.*

Secundò. Propositionem efformare possumus, majorem Evangelii partem ad unam aliquam ejusdem Evangelii revocando, v.g. in Evangelio Dominicæ III. Quadrag. agi potest de Regno Tyrannico Diaboli, & primò recensebimus nomina hujus tyranni: *Dæmonium mutum, fortis armatus, spiritus immundus.* Secundò locum, qui est Mundus, habetque sua nomina: *Regnum divisum, Atrium, domus vacans, scopis mundata, & ornata:* Tertiò modum, quo regnat; reddit enim subditos suos *Cæcos, Surdos, Mutos.*

Tertiò. scopum unicum ex textu Evangelii tibi præfixeris, inde duas, vel tres ejusdem Evangelii partes, scopi partes effeceris, ut in Fer.VI. post

(1) *Homil.* 31.

primam Domin. Quadrag. Thema sit inimicorum dilectio, ex illo: Diligite inimicos vestros; cujus prima pars erit: *Ego dico vobis*. Secunda, *ut sitis filii Patris vestri*. Tertia, *si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?*

Quartò. Doctrinam, Historiam, sivè Parabolam, in Evangelio contentam, sumimus, inde in duabus, vel tribus ejus partibus immorabimur, totidem materias diversas, nostræ Concionis argumentum effingentes; ut in Evangelio, quod prima die Cinerum occurrit, triplex tibi argumentum ex tribus ipsius locis efformaveris. Primum de Jejunio, ex illis verbis: *Cum Jejunatis*. Secundum de Hypocrisi, ex illis: *Nolite fieri, sicut Hypocritæ tristes*. Tertium de Cœlestibus divitiis, ex illo: *Thesaurizate vobis Thesauros in Cœlis*.

Quintò. partitionem assumes, quæ in ipso Evangelio reperitur. v. g. in Evangelio de Christo duodenni, quomodò quæsitus, quomodò repertus.

Sextò. ex tota Evangelii serie locum aliquem majoris ponderis, & utilitatis eligi potest, & tractari ad terrorem malorum, vel ad consolationem Bonorum.

Septimò, Unam aliquam sententiam Evangelii, omissis aliis, assumes, ut: Diliges Dominum Deum tuum.

Octavò. Una vox etiam aliquandò methodum præbet. E. G. in Evangelio festivitatis S. Jacobi agi potest de Calice Mundi, & Christi.

Nonò. ex intentione Domini educi potest argumentum. v. g. in Evangelio de Panibus multiplicatis, ut providentiæ suæ exemplum haberetur.

Decimò. Ex intentione Ecclesiæ, quæ in prima Dominica Adventus Evangelium de extremo Domini Adventu fidelibus proponit, ad signifi-

can-

candum Christi adventum in Nativitate.

Undecimò. ex intentione ipsiusmet Concionatoris, ut si ex illo Evangelii: *Ecce ascendimus Jerosolymam,& Filius Hominis tradetur*, eruat argumentum de Christi plagis differendi, ut Audientium amorem erga Christi vulnera excitet, & inflammet.

Duodecimò. Aliqua ex septem circumstantiis argumentum sæpè suppeditat. sunt autem circumstantiæ: Quis,Quid, Ubi, quibus auxiliis, Cur,Quomodò,Quando,hoc est Persona,Res,Locus,Media,Finis, Modus, & Tempus.

Decimotertiò. Aliquando diversæ Patrum expositiones,ut Matth.5.illud de Justitia Pharisæorum potest applicari ad Hypocrisim, vel ad Justitiam Veteris legis.

Decimoquartò.Interdum aliqua sententia secundùm varios sensus S. Scripturæ.

Scripturarum duplex est sensus,alter Literalis, alter Spiritualis,seù mysticus,qui iterum dividitur in Tropologicum,Allegoricum, & Anagogicum.

Literalis est, quo explicantur Scripturæ eodem sensu prorsùs, ac sonat litera.

Tropologicus,qui & Moralis dicitur,sub figurarum, & similitudinum umbris docet ea, quæ ad formandos mores pertinent.

Allegoricus,ex veteri lege, & sub Metaphorarum umbris,ac rerum sublunarium similitudinibus,novæ legis Mysteria innuit.

Anagogicus indicat ea, quæ in futura Gloria speramus.

Horum omnium exempla habentur in hoc uno verbo, Hierusalem, quæ secundum literam significat Urbem illam Judææ,ubi passus, & Crucifixus est Redemptor noster Christus.Tropologicè denotat Animam; Allegoricè militantem

Ecclesiam; & Anagogicè Supernam Electorum Patriam, de qua canitur: Cælestis Urbs Hierusalem, beata pacis visio, &c.

Litera scripta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quò tendas Anagogia.

De Divisione Propositionis.

Quibus de causis necessaria, & quot modis fiat.

SECTIO III.

Ubi Propositionem adinvenisti, dividere hanc in aliqua Puncta, ubi opus est, scias: idque pluribus de causis:

Primò, ut omnis evitetur confusio, & ordine procedat sermo.

Secundò, ut quoad modum, Partes, & circumstantias rem exprimamus.

Tertiò, quia faciliùs per partes res probatur, & commodiùs in sua puncta divisa Oratio memoria retinetur.

Quartò demum, ut attentior, & ad veritatem clariùs percipiendam, aptior fiat Auditor.

Modus autem dividendi multiplex.

Primò dividitur Thema, cùm Universale est, in suas species, ut: Judicium Justis felicissimum, Peccatoribus miserrimum.

Secundò in sua effecta, tùm quoad specificam varietatem, ut: Peccatum Temporalibus, & Spiritualibus Bonis hominem exuit; Tùm quoad varietatem numericam, Ut: Peccatum divitiis, salute, & denique vita ipsa hominem privat.

Ter-

Tertiò dividitur Propositio in causas, ut: Peccatum odit Deus, & quia summè Bonus, & quia summè Justus.

Quartò dividitur in suas circumstantias, E. G.

Quis. Secundùm variam Personarum diversitatem, ut: Oratio cuique personarum conducit, sivè incipientes, sivè proficientes, sivè perfecti sint.

Quid. Secundùm variam Rei acceptionem, vel ejusdem rei proprietates. v.g. Crux Christi Schola Mundi, Scala est Cœli. Ignis Inferni ardens est, non lucens; Urit, non consumit.

Ubi. Secundùm locorum diversitatem. E. G. Christus Jesus in Antro Betlhemitico, & in Calvarii vertice paupertatem servavit.

Quibus Auxiliis. Secundùm varia media, E.G. divinarum Deus consolationum dulciariis ad amorem suum incipientes allicit; derelictionum amaritudinibus perfectos comprobat.

Cur. Secundùm diversos fines, ut est illud Augustini: *Omnis malus, aut ideò vivit, ut corrigatur; aut ideò vivit, ut per eum Justus exerceatur.* (1)

Quomodò. Secundùm varios modos. E. G. Deo serviendum est cum amore, & timore.

Quando. Secundùm temporum diversitatem. E.G. Christus Jesus, & Puer, & Juvenis, & morti proximus, pulcher admodùm, & perhumanus fuit.

Quintò, dividi potest Propositio in ea media, quæ eidem propositioni probationem afferunt, E.G. Mors amara est, ac dolenda, tùm ex criminum recordatione, tùm ob districti Judicii memoriam.

Sextò, dividi potest in ea media, quæ propositioni sunt ad finem, E.G. benè vixerit homo, si se moriturum, & brevi moriturum sæpè recogitet.

Septi-

(1) *In Psalm. 54. ad 1. Versic.*

Septimò, in eam causarum varietatem, quæ nos movent de aliqua re sermonem habere. E.G. Ad dicendum de proxima Dei vindicta contrà Peccatorem nos excitant, Nimia peccandi licentia, Nimia pœnitentiæ agendæ oblivio.

Octavò, cùm propositio in aliqua Allegoria fundatur, potest dividi, vel in munera personæ, per Allegoriam signatæ, vel in ejusdem qualitates, vel effecta Ut, si Christus Pastori compareretur, munera Pastoris sunt: Quærere, pascere oves, & tueri. Qualitates: Vigilare, & amare oves suas. Effecta: Pax, & tranquillitas Gregis.

Reliquas dividendi formas, brevitate suadente, prætermittimus, & apud alios legi malumus, quàm hìc recenseri.

Unum interim sciendum, has, & alias dividendi Regulas iis argumentis non esse applicandas, quæ ab ipso Evangelio suam divisionem capiunt, sed illis dumtaxat, quæ divisionem à nobis expectant.

Divisionis Virtutes, & Vitia.

SECTIO IV.

PRima Virtus divisionis est, ut totam Propositionem complectatur.

Secunda, ut nullum membrum superfluum sit, nec in alio implicitè contineatur.

Tertia, ut re ipsa membrum distinguatur ab alio.

Quarta, ut trium, vel quatuor membrorum numerum divisio non excedat; & si plura occurrant, magis præcipua seligantur.

Quinta, ut sit clara, & recto ordine disposita.

Se-

Sexta, ut quæ majoris efficaciæ sunt membra, in fine locentur.

Vitia verò sunt:

Si divisio totam propositionem non includat.

Si aliquod membrum superfluum sit, & in alio contineatur.

Si nomine, & non re, membrum distinguatur ab alio.

Si nimiùm minuta, & capillaris sit divisio.

Si trium, vel quatuor membrorum numerum excedat.

Si sit obscura, & à recto ordine aliena.

Si minùs efficax membrum in fine locetur, efficacius in principio.

Methodus parandæ Sylvæ, Quæ Concioni proximè deseruit.

CAPUT II.

Themate adinvento, & in sua membra rectè, ritèque distincto, prima Concionatoris industria erit Oratoriam sibi sylvam comparare, hoc est, firmas rationes, exquisitos conceptus, valida testimonia, doctrinas, exempla, sententias, &c. Ex locis topicis, Sacra Scriptura, SS. Patribus, aliisque Authoribus colligere, & in suo Codice, ad id parato, transcribere, ut hac supellectili dives, habeat unde faciliùs rem suam probet, & Orationis contextum feliciùs absolvat. Hujus parandæ sylvæ methodum breviter aperimus hoc modo:

Accipe propositionem tuam, & in ea subiectum, & prædicatum observa; mox utrumque di-

vi-

visim, duobus chartæ foliis distinctis inscribe. E. G. in hac propositione: *Tribulatio est fructuosa.* Subiectum erit, Tribulatio, Prædicatum, fructuosa. in vertice primi folii scribes: Tribulatio. in fronte secundi: fructuosa.

Quòd si distributa fuerit in puncta, singula distinctis foliis inscribantur.

Hoc pactò distinctà, & signatà propositione, percurre loca communia, de quibus inferiùs, cap. 4. agemus, & primùm ea, quæ dicuntur insita, seù intrinseca, ut Rationem aliquam inde elicias ad rem probandam, v.g. à causis eruere poteris hoc argumentum: Nil à Deo jubetur, vel permittitur, quod ad salutem nostram non conducat. Tribulatio est à Deo, ergo, &c. Ab effectis probabis ità: Vexatio dat intellectum, Patientiam operatur, probat, purgat, & eligit, ergo salutaris est. A simili sic: Tunc tellus luxuriat in segetem, cùm proscinditur ferro, cùm exercetur Aratro; non secùs Anima, &c.

Locis insitis indagatis, transi ad extrinseca, seù Remota, quorum primas tenet Divina Scriptura; & primò videndus est textus, unde educta est propositio, singulæque ejus voces attentè sunt ponderandæ.

Secundò, varias ejusdem textus lectiones, præsertim latinas, Græcas, & Hebræas, quæ varios persæpè dant sensus, ad rem nostram facientes, in Biblia maxima observa. Quod si ab Evangelio extractum sit thema, omnium super eo loco Evãgelistarum sensus, & verba, observare ne pigeat.

Tertiò, varios illius loci interpretes, ac expositores consule; in primis octo præcipuos Ecclesiæ Sanctæ Doctores.

Universã quoque Scripturã egregiè interpretãtur: Ugo Card., Dionysius Chartusianus, H Rabanus Maurus, Cajetanus, Gaspar Sanctius, Lorinus, Joan-

Joannes Mariana, Alphonsus Tostatus, Glossa, &c.

In Evangelium habes Joannem Sylveira, Sebastianum Barradas, Joannem Maldonatum, Alphonsum Salmeron: Cornelium Jansenium, Toletum, Didacum de Baëza, Angelum del Pas, Franciscum Lucam Burgensem, &c.

Si apud Sacros Interpretes non reperiatur satis rerum Themati probando, adeatur concordantia, seù Oeconomia Bibliæ, vel Biblia Pauperum D.D. Antonii, & Bonaventuræ, ibique perquirantur Scripturæ, quæ cum nostra propositione affinitatem habeant, quibus repertis, consulantur uberiores illarum Interpretes, nempè Lorinus, Mendoza, Velasquez, aliique non pauci.

Omnibus his diligentiis, ac studiis peractis, nec dum fortè sufficienti supellectili comparata, videantur Collectores, putà Mansi, Labata, Epithome Lopez, Mendozza, Lubeti, Polyanthea novissima Langi, & Gruteri, Concionator Evangelicus Frācisci Garziæ, Bibliotheca Lionner, Scripturæ, ac Selecta Speranze, Opera Nierimberg, &c. Apud quorum Indices quæratur tùm subiectum, tùm prædicatum nostræ Propositionis, omnesque eæ voces, quæ cum subiecto, & prædicato propinquitatem habent, & similitudinem, v. g. in verbo, tribulatio, vide: Persecutio, Afflictio, Vexatio, Angustia, Cruciatus, Labor, dolor, &c & in dictione, fructuosa, quære: Fructus, utilitas, Emolumentum, Quæstus, Lucrum, &c.

Hæc de Scripturis, & S.S. Patrum testimoniis.

At pro doctrina videatur D. Thomas, D. Bonaventura, &c.

Historias, & exempla si velis, adi Theatrum vitæ Humanæ Beyerlinck, Zvingeri, Flores exemplorum Dourovolsii, Sylvam Historialem Mattioli, Theatrum Historicum Tympii, Roh de virtute Historiæ, Speculum Exemplorum Majoris,

Hi-

Historiam ludricam Bonifacii, &c.

Symbola præbent Causinus in sua symbolica, Petrus Valerianus, summa Geminiani, &c.

Emblemata, & quæ vulgò dicunt impresia, dant Alciatus, Ferro, Ruscelli, Mundus Symbolicus.

Apophthegmata Plutarchus, dicta Buteri, Menochius libro: Apophtegmata S. S. Patrum, &c.

Quidquid sivè Rationis, sivè Scripturæ, sivè doctrinæ, vel eruditionis repertum fuerit, rei nostræ congruum, notetur in foliis, ad id paratis, & singula sub eo membro propositionis, ad quod spectant.

Sciendum ultimò, quod in paranda sylva, non solum oportet reperire unde probes, sed & unde moveas. Ut autem facilè discernantur, quæ pro ciendis affectibus reperta sunt, poterunt aliquo hæc indicio, sivè sit Asteriscus *, sivè aliud quid simile, in alterutro latere distingui.

Methodus parandæ Sylvæ Generalis.

CAPUT III.

TOtam supellectilem, Orationi construendæ necessariam, si tunc parare expectes, cùm cōcionandi exhibetur occasio, nullam, nisi longo tempore prævio, poteris Orationem contexere; multò minus assueveris extempore, & imparatè dicere. Necesse est igitur paratam quisque habeat apud se sylvam generalem, unde, veluti ex quodam Ærario, seu Promptuario quodam, possit multa ad tempus, & prout cōtingit necessitas, depromere, novosque labores, ad quos multoties tem-

tempus non suppetit, Promptuarii illius beneficio, devitare. Generalis comparandæ sylvæ methodus hæc est:

Parentur duo Codices, quorum quisque duobus, aut tribus chartæ foliis constet, singulæque paginæ habeant ex utroque latere spatium, seù limbulum, ubi adnotari possint ea, quæ paulò inferiùs dicemus; & in vertice numeros, quibus alia ab alia distinguatur.

Primo Codici inscribatur: Excerpta à Scripturis, S.S. Patribus, & Sacra Theologia.

Secundo, Excerpta ex Historiis, Exemplis, Adagiis, Hieroglyphicis, &c.

Omnia notatu digna, ad Divinam Scripturam, S.S. Patres, & Theologicam Doctrinam pertinentia, quæ vel legendo, vel audiendo didicimus, Miscellaneè, & prout casu, & extempore lecta, vel audita fuerint, in primo Codice adnotentur, hoc pacto: In medio spatio scribatur Scripturæ textus, vel S. Patris testimonium, vel doctrina. In altero latere notetur paucis verbis summa illius Scripturæ, vel sentétiæ, &c. Ità, ut dictio quæ sensum præcipuum continet, literis grandioribus designetur. In altero innuatur Author, capita, Numeri, &c. En exempla.

Oculus janua peccati.	Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescédum, & pulchrum oculis, visuque delectabile, & tulit de fructu illius, &c.	*Genes.* 3.6.
Anima Thesaurus.	Habemus Thesaurum istū in vasis fictilibus.	2.*Cor.* 4.7.
à MINIMIS proruitur in maxima.	Si curare parva negligimus, insensibiliter seducti, evidenter etiam majora perpetramus.	*Gregor.* *l.*10. *mor.*1.9.

C Offen-

Offensa commensuratur ab offenso.	Tantò offensa est gravior, quantò maior est ille, in quem delinquis.	*D.Th.3. p.q.1. art.2.*

Eadem ratio servanda in adnotandis Historiis, Exemplis, Adagiis, &c. quibus deservit secundus Codex.

Quidquid in tota Hebdomada collectum est, Sabbato percurratur oculis, & si vacet, memoriæ mandetur.

Utroque codice repleto, alii de novo parentur, inde alii, donec perauсто eorum numero, in volumen alligentur, & in calce apponatur Index Alphabeticus rerum, quæ in eo contentæ fuerint.

Potest, & aliter Generalis sylva disponi, nempè ut Codicis paginæ variis titulis, alphabetico ordine digestis, distinguantur ad instar Polyantheæ, & sub his titulis notentur ea, quæ ad eorumdem sensum spectare videbuntur. Methodus hæc non improbatur; sed unum hoc habet incommodum, quòd longo opus est tempore, nimio studio, & labore, ut omnes paginæ repleantur.

De Locis.

Unde Rhetores Argumenta eruunt, & Rationes ad Rem probandam.

CAPUT IV.

LOcos communes vocant Rhetores ea, quæ Argumentorum materiam præbent ad facien-

ciendam fidem; Unde locus per Ciceronem nil aliud est, quàm Argumentorum Sedes.

Loci alii intrinseci; Alii extrinseci, sivè Assumpti.

Loci intrinseci sunt illi, qui in re ipsa proposita latent.

Extrinseci, qui extrà rem sunt, & ab extrà assumuntur ad rei confirmationem. De intrinsecis priùs, mox de extrinsecis erit sermo.

De Locis Intrinsecis.

SECTIO I.

Loci intrinseci sunt sexdecim.

1 Definitio.	9 Opposita.
2 Notatio.	10 Adiuncta.
3 Enumeratio Partium.	11 Antecedentia.
4 Conjugata.	12 Consequentia.
5 Genus.	13 Repugnantia.
6 Species.	14 Causæ.
7 Similitudo.	15 Effecta.
8 Dissimilitudo.	16 Comparatio.

Quæ ut faciliùs memoria teneantur, ad hæc carmina redegimus:

Definit, Notat, Enumerat, variatque Jugata,
A Genere, & Specie, à Simili, Absimiliq; probat rē,
Opposita Adiunctis, Præmissa Sequentibus addit,
Comparat, & Pugnat, Causas, Effectaque monstrat.

Cicero (1) dividit locos intrinsecos partìm in eos, qui rem ipsam, & quidem totam, exhibent, & hi sunt tres: Definitio, Notatio, Enumeratio; partim in eos, qui non totam primò, ac per se in-

(1) 2 Top.

dicant; sed partem tantùm, vel aliquid, quod ad rem pertinet, eamque quodammodò afficit, & sunt reliqui tredecim, qui supersunt.

Primus locus à Definitione.

DEfinitio, secundùm Dialecticos, est Oratio explicans quid res sit, constatque ex Genere, & Differentia, ut: Homo est Animal Rationale. Oratores verò rarissimè utuntur tali definitione, quia parvam suggerit copiam; sed ea sæpiùs, quæ secundùm aliquas aptiores qualitates rem explicat; quarè Descriptio potiùs, quàm Definitio erit dicenda.

A Definitione dupliciter argumentamur, Primò: Quod convenit Definitioni, convenit Definito, & quod definitioni non convenit, neque etiam definito. Secundò, cui tribuitur definitio, tribuitur definitum, & à quo definitio removetur, ab eo etiam removetur definitum. En exempla:

1 Legis transgressio digna meretur supplicia; ergo merita peccatum afficiendum est pœna.

Legis transgressio veniam absque condigna pœnitentia non meret; ergo nec etiam peccatum.

2 Aliena rapere, est legem transgredi; ergo est peccatum.

Alienam pecuniam extrema necessitate laborantem furari, non est legem transgredi; ergo non est peccatum.

Modi definitionis, seù descriptionis Oratoriæ sunt plures, quorum aliquos hic recensemus.

Primus est Rem per partes, quibus ipsa constat, fusè, & ornatè describere E.G. Homo est ceù totum aliquod, constans capite, sursum, ad Cœli

sa-

faciem intuendam, elato; cervice erecta; brachiis hinc inde ad latera prolapsis; manibus in quinos digitos diductis, & ad varia opera peragenda expeditis; pedibus, &c.

Secundus est per causas, à quibus fluunt effecta, quales sunt: Materia, Forma, Efficiens, Finis, & Exemplar, sivè Idea. E. G. Homo est Animal ex luto concretum; Rationis usum habens; à Deo efformatum; ad immortalitatem natum; Imago Divinæ Maiestatis.

Tertius per effecta, quæ à causis profluunt. D. Ambrosius ebrietatem sic expressit: (1) *Ebrietas fomentum libidinis, incentivum insaniæ, venenum sapientiæ: hæc sensus hominum mutat, & formas: Per hanc fiunt equi adhinnientes, &c.*

Quartus per negationem, & hoc dupliciter: primò cùm per particulas negativas rem describimus E. G. Humilitas est se se hominem haud efferre, vilitatem, & infirmitatem suam non ignorare, alios non contemnere, ab aliis magnî fieri non quærere, &c. Secundò cùm primò ostendimus, quid res non sit, deinde quid sit: Exemplum disertissimè expressit Maximus Tyrius in Orat. de Deo. (2) *Pulchrum Deum dicam, & pulchrorum omnium pulcherrimum. haud quidem pulchrum corpus; sed unde pulchritudo in corpora emanat; neque etiam pulchrum Pratum; sed unde & Prata, & Amnes, & Mare, Cœlum ipsum, Cœlestesque Dii pulchritudinem decerpunt.*

Quintus per similitudinem, omissis tamen particulis ità, sicut, quasi, non aliter, &c. quæ communiter adhiberi solent in similitudine; sed simpliciter, & absque comparatione, affirmando. E. C. Ambitio (3) est futile malum, Secretum vi-

(1) *Lib. de Elia, & Jejunio, cap. 16.* (2) *apud Caussinũ lib. 4. ca. 22.* (3) *D. Bernard. 3. de Considerat.*

virus, Tinea sanctitatis, &c.

Sextus per Synonymiam. Est autem Synonymia plurium nominum in eamdem significationem collatio ad alicujus rei dignitatem, vel magnitudinem copiosiùs explicandam, ut cùm dicitur: Christi Crux flagellum inferni, tormentum Dæmonum, stygiarum potestatum terror, &c.

Septimus per contemptionem Ironicam, ut si post lapsum diceretur de Adam: Ecce Adam, quasi unus ex nobis factus est.

Octavus per adiuncta, & proprietates. Sic Christus Dominus definitur: (1) *Assertor humanæ libertatis, Sanctitatis Magister, Absoluta perfectionis Præceptor, Fons perennis virtutum omnium.*

Nonus, per contraria hoc modo: Tunè Christianum eum dixeris, qui sacro Baptismate lotus, omni scelerum immunditie vitam suam commaculat? Christianus ergo censendus, qui ore Deum honorat, opere verò blasphemat? Charitatem jactitat verbis, at occulta cor tabet invidia? Castitatem foris ostentat, intus verò immodico flagrat igne libidinum? Depone, depone larvam hanc, ferale monstrum. Quid virtutis specie bonorum virorum decipis fidem, pius, & impius, pudens, & impudens, Innocens idem, & sceleratus?

Decimus per comparationem, ut cùm dicitur: Peccatum est omni monstro turpius, omni tyranno crudelius, Dæmone ipso terribilius.

II. A Notatione.

Notatio, græcè Etymologia, est vocabuli interpretatio; inquirit enim originem verbi, & si-

(1) Radau p. 1, cap. 2. qu. 2.

& significationem, ut Senatus à Senibus. Ex hoc loco ità deducitur Argumentum: Ille est verè Christianus, qui Christum colit: Peccator Christum non colit; Ergo Christianus verè non est.

Parcè hujus generis argumento utendum, ne Grammatici potiùs, quàm Oratores videamur; Præterquam quod ad persuadendum satis est debile, licet ad delectandum sit perquàm idoneum.

III. A Partium Enumeratione.

VAlidissima ex hoc loco profluunt Argumenta, & uberrima amplificandi materia. Est igitur partium enumeratio, totius in suas partes divisio; sumuntur autem hic partes latè, idest pro omni eo, quod sub generali continetur, sivè hoc generale Genus sit, sivè totum.

Tripliciter à Partibus ad totum argumentabimur.

Primò, affirmando de toto, quod de partibus affirmatum est, E. G Hominis Pueritia subiacet periculis, subiacet Adolescentia; subiacet Juventus; Virilis Ætas, & Senecta subiacet; tota ergo Hominis vita subiacet periculis.

Secundò, negando de toto, quod de singulis partibus negavimus E. G. Venialis culpa non est committenda; Mortalis nullo modo patranda; ergo nullatenus peccatum est admittendum. Sic D. Paul. (1) *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, &c. neque creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei, &c:* Ex his licet conclusionem universalem elicere: Ergo nihil.

Ter-

(1) Rom. 8. 38.

Tertiò, quando, rejectis cæteris partibus, una aliqua affirmatur; vel cæteris affirmatis, una relinquitur, quæ negetur. Hoc argumento utitur Osorius Episcopus adductus à Granatensi, & à Caussino (1) contrà Judæos, ad probandum non alia de causa à Deo derelictos, nisi quòd Evangelio non crediderint: *Si igitur nec simulacra colunt, nec vanos Deos invocant, nec humanum sanguinem fundunt, nec se impia fraudis impuritate contaminant, cur illos Deus, quos in fidem suam recepit, tàm diuturno tempore ope sua destituit?* his igitur succisis, veram causam infert, Judæorum perfidiam.

In enumeratione Partium, Si qua pars necessaria omittatur, totum corruet argumentum.

IV. A Conjugatis.

Cojugata dicuntur ea, quæ ab uno, eodemque vocabulo exorta, variè commutantur, ut sunt. *Sapiens*, Sapienter, *Sapentia*, ab eodem verbo Sapere.

Duplex modus argumentandi à Conjugatis. primus est: Quod uni convenit Conjugatorum, cæteris quoque convenit, & è contrà. E.G. Pietas laudem meret, ergo & Pius. Pietati adversatur nequitia, ergo & Pio. Secundus est: Cui unum Coniugatorum convenit, cætera quoque conveniunt, & è contrà. E.G. Si Christiani sumus, Christianè vivamus. Tu Christianè non vivis, ergo Christianus verè non es.

Ad ornamentum potiùs, quàm ad aliquam solidam rationem efformandam hic locus valet; quarè abstineat à frequenti ejus usu Christianus Ora-

(1) *Lib. 4 cap. 29.*

Orator: & ubi longior Coniugatorum numerus contigerit, ad Synonyma recurrat.

V. & VI. A Genere, & Specie.

GEnus, & *Species* magnam Oratori copiam, & validissima ministrant argumenta.

Propriè Genus est, quod plura specie distincta sub se continet, E.G. Virtus est Genus respectu Iustitiæ, Fortitudinis, Temperantiæ, &c.

Et strictè species est, quod plura continet sub se numero distincta, ut Homo respectu Petri, & Pauli.

*S*umitur tamen Genus à Rhetoricis etiam pro omni eo, quod latiùs patet, & communiùs, ut Prosapia respectu omnium, qui sunt eiusdem familiæ, Patria respectu Civium, Persona respectu actionum suarum. Et species pro omni eo, quod ponitur sub aliquo Genere, & communitate.

A Genere argumentamur dupliciter. 1. Quod affirmatur de Genere, de *S*pecie quoq; affirmetur, v.g. Virtus est laudabilis, ergo & Prudentia, hoc autem Axioma perpetuum non est; non enim valet: Vitium opes dilapidat, ergo & Avaritia, ideò Quintilian. (1) docet Genus ad probandam speciem minimè valere. 2. Quod negatur de Genere, de *S*pecie quoque negari necesse est, Ut: si medium Virtus excedere non debet, neque debet Iustitia.

Locus à Genere ad Speciem, hoc est à Thesi ad Hypothesim, non solum ad affirmandum, & negandum; sed etiam ad docendum, & exaggerandum valet. Inseruit quoque Proœmiis, & introductionibus Concionum; vix enim à propositione

ne

(1) *Quintil. lib. 5. cap. 10.*

ne particulari quisquam orditur sermonem; sed præmissa propositione, seù sententia aliqua generaliori,& universaliori,quæ respectu Concionis fungatur vice totius, seù Generis, eàque breviter expensà, non sine arte ad Orationis partes descendit.

A Specie duplex quoque efformatur argumentum. 1. Quod affirmatur de Specie, idem & de Genere, ut: Temperantia diligenda est; ergo & Virtus. 2. Quod negatur de specie, id & de Genere negari potest. E.G. Ebrietas non dicit honestatem, ergo nec etiam vitium; & hic modus argumentandi vocatur ad Hypothesi ad Thesim.

Ut autem Genus ad probandam speciem non semper valet, ità nec semper à specie ad Genus negativè argui licebit; non enim dicimus: Avaritia non dissipat bona, ergo Vitium bona non dissipat. Idcircò Quintilian. (1) *Species firmam probationem habet Generis, infirmam refutationem.*

VII. A Similitudine.

Similitudo est Oratio, distinctarum rerum similem inter se affectionem, & relationem declarans. Vel (2) est duorum, vel plurium, longè diversorum, in aliqua re collatio. Hinc patet ad rationem similitudinis non esse de necessitate, ut per omnia res assimilatæ comparentur; præterquamquod enim accidere id nequaquam potest, juxtà illud commune: Omnis similitudo claudicat; tùm etiam quia, si quæ comparantur, in omnibus prorsus consentiant, (3) paria magis, aut æqualia sunt, quàm similia; sed satis est, si res

(1) *Quintil. lib. 5. cap. 10.* (2) *Radan. cap. 1. q. 5.*
(3) *Caussinus lib. 4. cap. 4.*

res comparatæ, etsi diversæ, & longè inter se dispares, in aliquo tantùm conveniant, sicut Umbra,& Gloria diversissima sunt, in hoc tamen conveniunt,quòd Umbra corpus, Gloria virtutem sequitur;Unde Cicero: *Gloria virtutis umbra est.*

Similitudinis usus crebertimus in Sacris literis,& apud Orientales, præsertim apud Hebræos frequentissimus;Unde D.Hieronymus: *Familiare est Syris, & maximè Palæstinis, ad omnem sermonem suum Parabolas jungere, ut quod per simplex Præceptum teneri ab Auditoribus non potest,per similitudinum exempla teneatur.* Hinc etiam Salvator, & Præceptor noster Christus Jesus sine Parabolis,& similitudinibus non loquebatur.

Plura facit similitudo: Orationem exornat; Rem oculis subiicit; Probationem corroborat; variis rerum imaginibus Auditorem oblectat; & motum in Animis concitat.

Vulgò dividitur similitudo in Parabolam, Exemplum,& Inductionem.

Parabola,quæ etiam Paræmia, & Proverbium appellatur,est (1) Rerum diversarum sub aliquo proportionaliter simili facta collatio. Passim verò in Evangelio Parabola, non tàm comparationem,aut collationem,quàm allegoricam declarat Orationem, quæ non facilè ab omnibus intelligatur. Parabolæ exempla hìc apponere non est opus, cum occurrant passim in Evangelio,præsertim Matth. cap. 13.

Ad parabolam refertur etiam Apologus, ut optimè docet Caussinus, neque alia in re hic ab illa distinguitur, nisi quod Parabola est rerum, sivè verarum, sivè verisimilium apposita, & artificiosa narratio; Apologus verò nec vera narrat,nec verisimilia. Exem-

(1) *Alber.Magn.in Top.*

Exemplum definitur: Facti alicuius, vel dicti, cum certi Authoris nomine, expositio, D. Hieronym. (1) *Quemadmodum si, qui laborant oculis, spongias, ac vestium Cyaneo colore pannos tenentes, frequenter in ea intueantur, ex eo colore nonnullum capiunt morbi levamen; Sic qui hominis clementissimi imaginem præ oculis habeas, & in hac assiduè oculos defigas, etiam si millies abundet ira, mentis oculum perturbans, ad hoc virtutis exemplar respiciens, perfectam consequeris sanitatem, puramque animi Philosophiam, ac tranquillitatem.*

Exemplorum usus fieri poteſt vel à Pari; vel à Majori ad Minus; vel, quod frequentiſſimum eſt, à Minori ad Majus.

Inductio eſt coacervatio quædam rerum multarum, & ſimilium, ad aliquid concludendum. D. Gregorius ex ſimilibus conglobatis fructus patientiæ virtutes eſſe demonſtrat: (2) *Sic uva calcibus tunditur, & in vini ſaporem liquatur; Sic oliva contuſionibus expreſſa, ſuam amurcam deſerit, & in olei liquorem pinguefcit; ſic per trituram Area à paleis grana ſeparantur, & ad horreum purgata veniunt. Quiſquis igitur appetit plenè vitia vincere, ſtudeat humiliter purgationis ſuæ flagella tolerare.*

Differt Inductio à Parabola, & Exemplo, quòd illa uno dumtaxat claudi, hæc non niſi multis ſimilibus perfici poteſt; alioqui Parabolas, & omnis generis exempla complectitur inductio. (3)

In ſimilitudine uti ſolemus his particulis: ut, ità, ſic, quemadmodùm, pari ratione, ſicut, non aliter, &c. poſſumus tamen aliquando, ut ſuperiùs dictum eſt, ſimpliciter, & his reiectis, ſimilitudinem exprimere.

Omiſſum tandem hic nolumus utile illud præ-

(1) *Homil. 2. de ſpect. apud Cauſſin. lib. 4. cap. 55.*
(2) *Homil 2. in Evangel. apud Palat. Reg. Eloqu. exercitat. 2. lect. 13.* (3) *Cauſſin. lib. 4. cap. 56.*

præceptum Fabii (1) *Ne scilicet id, quod similitudinis gratiâ adscivimus, aut obscurum sit, aut ignotum; debet enim, quod illustrandæ alterius rei gratiâ assumitur, ipsum esse clarius eo, quod illuminat.*

VIII. A Dissimilitudine.

Dissimilitudo est Rerum multarum, quæ inter se diversæ sunt, dissimilis affectio.

Ab hac argumentamur, cùm quod uni dissimili competit, alteri competere negamus, & quod uni non competit, alteri competere asserimus. E. G. Ignavus, & iners Christicola Proximi salutem non quærit; Ergo Generosi, & Charitate fervidi Christiani est omnibus ad eam modis incumbere.

Locus hic discrepat à Superiori in eo, quòd similitudo semper procedat affirmando; Dissimilitudo verò semper negationem habeat.

IX. Ab Oppositis.

Opposita sunt in quadruplici Genere:

Alia dicuntur contraria, seù adversa.
Alia Privativa.
Alia Relata, seù Relativa,
Alia Contradicentia.

Contraria sunt, quæ si sub eodem genere ponantur, maximè secum discordant, & ab eodem subiecto mutuò sese expellunt, ut Calor, & frigus sub eodem genere Qualitatis. Virtus, & Vitium sub eodem genere affectionis, & Habitus. A Contrariis benè argumentabimur, si de quo

(1) *Lib. 8.*

rem unam affirmamus, de eodem alteram contrariam negabimus. Sic D. Ambrosius sub persona Christi Psalm. 118. *Non est meus, quem libido succendit, quia mea est Castitas. Non est meus, quem cura spoliandi minores exagitat, quia mea largitio est. Non est meus, quem aura nobilitatis inquietat, quia mea tranquillitas est. Pax sum ego, litigare non novi, &c.*

Privativa seù Privativè Opposita sunt, quæ significant rem, & absentiam rei in subiecto, apto eam habere, ut auditus, & surditas; lux, & tenebræ; Vita, & Mors, &c. à privatione argumentaberis, si unū Privativorum de aliquo negabis, & alterum de eodem affirmabis, E.G. Nihil est quod magis expetatur, quàm vita; Nihil est igitur, quod timeatur magis, quàm mors. Sic D. Paul (1) *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

Relata sunt, quæ ad se invicem referuntur, ità ut cognitio unius necessariò includat cognitionem, seù ordinem ad aliud, hujusmodi sunt Pater, & Filius, Servus, & Dominus; dare, & accipere. Probat iste locus ab affirmatione unius ad affirmationem alterius, vel è contrà; Sic Christus Dominus: (2) *Si ergo ego lavi pedes vestros, Dominus, & Magister; & vos* (scilicet servi, & discipuli) *debetis alter alterius lavare pedes.*

Contradicentia, quæ Contradictoria à Dialecticis vocantur, ea sunt, quorum quod unum affirmat, alterum negat, ut: est bonus, non est bonus. Horum regula est, ut uno posito, alterum tolli necesse sit. E.G. Salutem amat suam, qui de peccato commisso veniam à Deo per pœnitentiam expostulat; Qui ergo de patrato peccato veniam dolendo non quærit, salutem non amat suam.

X. Ab

(1) Ephes. 5. 8. (2) Matth. 13. 14.

X. Ab Adjunctis.

ADjuncta, sivè Attributa, ea sunt, quæ cum re sunt conjuncta, sed non necessariò.

Adjuncta alia Personæ, & alia Rei.

Adjuncta Personæ sunt Undecim:

Nomen, Natura, Victus, Habitus, Fortuna, Affectio, Studia, Consilia, Facta, Casus, Orationes. Quæ omnia ad tres Classes revocantur, ad Bona scilicet, vel Mala Animi, Corporis, & Fortunæ.

Adjuncta Rei septem à nonnullis enumerantur, expressa sequenti versiculo, quem suprà etiam attulimus.

Quis, Quid, Ubi, Quibus Auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.

Quis, significat qualitatem Personæ, in qua considerantur undecim illæ circumstantiæ, paulò superiùs recensitæ.

Quid, significat rei, de qua agitur, Naturam, qualitatem, aut quantitatem, E.G. fueritne furtum, an sacrilegium; honesta, an turpis; levis, an gravis.

Ubi, locum indicat, Publicus, an Privatus; Sacer, an profanus, &c.

Quibus auxiliis, hoc est cum quibus Sociis, quibus instrumentis, &c.

Cur, significat finalem causam, quo animo, qua cupiditate, quo fine, &c.

Quomodò, modum facti, quàm facilè, quàm graviter fecerit.

Quando, Tempus denotat.

Locus hic ab Adjunctis, optimè si examinetur, uberrimam argumentorum messem protulerit, quarè non immeritò Adjuncta Argumentorum Seminarium à quibusdam nuncupatur.

XI. & XII. Ab Antecedentibus, & Consequentibus.

Antecedentia illa sunt, quæ rem necessariò antecedunt, & quibus positis, necesse est alia consequi, E.G. Sanctè, & piè vixisti, Cœlum igitur expecta.

Nonnumquàm ex multis antecedentibus unum tantùm consequens infertur; & quandoque ex uno Antecedente Consequentia multa.

Consequentia illa sunt, quæ vel mora, vel ordine sunt posteriora, & rem necessariò consequuntur. E. G. Magna est peccatorum in Inferis pœna, ergo magna fuit patratæ culpæ injuria. Locus hic non solum per affirmationem, sed per negationem quoque tractari potest.

Antecedentia, & Consequentia per hoc differunt ab Adjunctis, quòd Adjuncta non necessariò rem circumstant; Antecedentia verò, & Consequentia necessariò rem antecedũt, & sequuntur.

XIII. A Repugnantibus.

Repugnantia sunt, quæ stare simul, & hærere non possunt, qualia sunt: Amare, & injuria afficere; Odisse, & laudare, &c.

Regula argumentandi à Repugnantibus hæc est, ut cui convenit unum repugnans, alterum non conveniat. E.G. Ille ne censendus Deum diligere, qui peccando Christum injuriat, lingua flagellat, mente vulnerat, & pravis operibus iterum crucifigit?

Differunt inter se Repugnantia, Contraria, & Dissimilia. Contraria sunt, quæ sub eodem genere contenta, sibi adversantur, ut: Amare, & odisse.

Dissimilia non pugnant;sed tantùm diversa sunt. Repugnantia verò sunt, quando (1) Unum contrarium ponitur, & alterius contrarii effectus, ut, odisse, & benefacere; nam benefacere ex amore profluit; Amor verò contrarius est Odio.

XIV. & XV. A Causis, & Effectis.

Causa est id, à quo aliquid quomodocumque procedit.

Causa quadruplex: Efficiens, Materialis, Formalis, Finalis.

Efficiens causa est, quæ aliquid facit, ut Sol diem, Artifex opus. Huc etiam refertur, qui moraliter, seù instrumentaliter aliquid efficit.

Causa Materialis est id, ex quo aliquid fit, ut statua ex marmore; seù circa quod aliquid versatur, ut Color, circà quem Oculus.

Causa Formalis est, per quam res est talis, seù per quam constituitur, & distinguitur ab aliis rebus. Sic Navis, & domus lignea, per diversam partium constitutionem differunt.

Finalis causa demum est, propter quam aliquid fit, ut Navis propter navigationem, Medicamentum propter salutem.

A Causa Efficiente bifariam argumentamur. 1. Posita, vel sublata causa, ponatur, vel tollatur effectus. 2. Quæ causis insunt, effectibus tribui possunt. 1. Charitatem non habes, ergo Animarum saluti non laboras. 2. Mundus creatus est à Deo, igitur opus perfectum est.

A causa materiali deducitur argumentum, si proprietates, quæ proveniunt ex materia, vel materiæ conveniunt, prædicentur de effectu; quæ

(1) Radau, in Orat. extemp. p. 1. cap. 1. qu. 5.

verò non conveniunt, vel repugnant materiæ, ab effectu arceantur. 1. De Terra homo est, ergo corruptioni obnoxius; 2. Daniel ut probaret Idolum Bel neque vivere, neque comedere posse, sic ait (1): *Ne erres, Rex; iste enim intrinsecè luteus est, extrinsecè æreus, neque comedit aliquando.*

A causa formali hoc modo, ut scilicet res omnis suæ formæ proportionari, seù æquari debeat. Animus hominis est immortalis, ergo immortalia quærere debet.

A causa finali argumentabimur juxtà hæc axiomata: 1. Qualis est finis, sivè bonus, sivè malus, talis est res, quæ per se ordinatur ad finem. 2. Qui finem appetit, debet media, ad illius consecutionem idonea, expetere. 1. Bonum est Pauperis inopiam sublevare, ergo bona est Eleemosyna. 2. Ad Cœlum aspiras? Terram igitur contemne.

Effecta sunt ea, quæ oriuntur à causis; unde tot dantur effecta, quot causæ; quælibet enim causa suum habet effectum.

Hic locus ab effectis frequentiùs usurpatur ab Oratoribus, quàm locus à causis; Effecta enim sunt causis notiora, & per ipsa effecta causæ probantur.

Ab effectis argumentamur, vel inferendo causam, posito effectu; vel negando causam, negato effectu; vel ex bonitate, seù malitia effectus, causæ bonitatem, vel malitiam probando.

Ab effectu igitur causæ efficientis ità deducitur argumentum: Virtus parit laudem, voluptas infamiam; Ergo sequenda Virtus, voluptas fugienda.

Ab effectu causæ materialis hoc modo: Quotidie immutamur, & morimur, ergo corpus nostrum

(1) *Daniel. cap.* 14.

ſtrum inconſtans eſt & caducum.

Ab effectu cauſæ formalis ſic: divinum quoddam eſt intelligere; ergo Animam tuam, Homo, parvi ne facias; magni pretii eſt, divina eſt.

Ab effectu cauſæ finalis ità: Terram amas, pro Terra laboras? Cœlum igitur ne ſpera.

XVI. A Comparatione.

Comparatio, ultima Inſitorum Argumentorum Sedes, ea eſt, qua duo, vel plura, in aliquo tertio, quod eſt eis commune, conferuntur.

Hinc intellige differentiam inter comparationem, & ſimilitudinem. In comparatione fit duorum collatio reſpectu alicuius tertii; in ſimilitudine fit quidem collatio, non verò reſpectu tertii; ſed ſuum cuique attributum datur. v. g. *Sicuit Marco Antonio defendere Clodium, cur Ciceroni non liceat defendere Milonem?* Ecce hic Antonius, & Cicero conferuntur reſpectu tertii, nempè defenſionis. hic verò: *Sicut infirmi ſuavitatem cibi non ſentiunt, ità improbi veræ laudis guſtum non habent.* Infirmi cum improbis conferuntur, ſed non eſt tertium, reſpectu cuius conferantur; ſed & infirmis, & improbis ſuus guſtus corruptus attribuitur. hæc diſertiſſimus P. Michael Radau. (1)

Alii aliam differentiam aſſignant, quod ſcilicet comparatio fiat in quantitate, ideſt è duabus, vel pluribus rebus, in aliqua re collatis, oſtenditur aut paritas, aut imparitas; ſimilitudo verò fiat in qualitate, ideſt cùm à convenientia, ſeù proportione aliqua, quæ inter ipſas res comperitur, ducitur argumentum.

Com-

(1) *Radau. in ſuo orat. extempor. p. 1. cap. 1. qu. 5.*

Comparationem tripliciter efformare possumus.

Primò. Paria cum paribus conferendo, sic D. Paul. se ipsum commendat, dicens: (1) *Existimo enim nihil me minus fecisse à magnis Apostolis, &c. Hebrai sunt, & ego. Israelitæ sunt, & ego. Semen Abrahæ sunt, & ego, &c.* Et hoc vocatur argumentum à Pari.

Secundò. Majora minoribus comparando. Sic Christus: (2) *Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus, & Magister; & vos debetis alter alterius lavare pedes.* Et hoc Argumentum appellatur à Maiori ad Minus.

Tertiò. Minora cum majoribus comparando, ità Christus. (3) *Si Fœnum, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quantò magis vos modicæ Fidei?* Et hoc nuncupatur à Minori ad Majus.

Hæc de locis insitis, seù intrinsecis, quorum aliquos nonnulli ad locos extrinsecos revocare contendunt. Nos ab hujus Quæstionis diverticulo pedem avertimus, utpotè parùm nobis proficuæ, & ad ulteriora progredimur.

De locis Extrinsecis, sivè Assumptis.

SECTIO II.

Loci Extrinseci, Remoti, seù Assumpti, illi vocantur, ut diximus, qui extrà rem sunt, & ab extrà sumuntur ad rei confirmationem.

Omnia,

(1) D. Paul 2. Corinth. 2. (2) Joann. 13. 14. (3) Matth. cap. 6.

Omnia, quæ extrinsecùs assumuntur ad rem confirmandam, Testimonii nomine vocantur à Cicerone.

Testimonium igitur duplex est, alterum Divinum, Humanum alterum.

Testimonium divinum illud est, cuius Deus est author, sivè per se ipsum, sivè per alium; Hujusmodi sunt Scripturæ Sacræ, Historiæ Ecclesiasticæ, & Exempla, Salvatoris nostri tùm dicta, tùm facta, sententiæ S.S. Patrum, Traditiones, Concilia, Summorum Pontificum decreta, &c.

Humanum Testimonium est ab homine, & ad hoc referuntur Leges, Statuta Rerumpublicarum, Mores Urbium, Historiæ, Veterum Sententiæ, Symbola, Hieroglyphica, Ænigmata, Emblemata, Adagia, Parabolæ, Apologi, Apophthegmata, &c.

De Divino Testimonio.

ARTICULUS I.

Cùm Divinum Testimonium innitatur Deo, qui via est non errans, Veritas non fallens, Vita numquam deficiens, quis non videat virtutem divinam habere, quæ ex hoc fonte profluunt argumenta, longèque efficaciora esse, quàm probationes quascumque à profanis fontibus haustas? hoc igitur frequens habeat in suis Concionibus Ecclesiasta; ut enim ait D. Paul. (1) *Omnis Scriptura, divinitùs inspirata, utilis est ad docendnm, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei,* ad

(1) *2. ad Timoth. cap. 3. n. 16.*

ad omne opus bonum instructus. Et cùm ex D. Chrysost. (1) *Neque apex quidem sit in libris Sacris, in cujus profundis non lateat quidem grandis Thesaurus*, quid est quod tanto labore in profanorum librorum fodinis desudemus, ut parum inde argenti eruamus; nec potiùs Divinarum Scripturarum lectioni intendamus animum, ubi, D. Augustino testante (2) *frequentiùs invenientur ea, quæ numquam omninò alibi*?

In usu divini testimonii hæc advertantur.

Primò, syncerè, ac fideliter Sacræ Scripturæ Textus recitetur, nec germanus ejusdem sensus corrumpatur, aut in alium à Spiritu Sancto dictante, vel Ecclesia interpretante alienum, Deoque indignum, contorqueatur, ut si E. G. per tres panes, Amico accommodatos (3) tres Sanctissimæ Trinitatis Personas intelligere velles.

Non inconsultò, nec nimiùm frequenter Divinæ Scripturæ testimonia coacerventur: Majestatem enim suam amitterent, & pro reverentia tædium inducerent.

Sed nec prolixiores Textus citentur, longa enim recitatio tùm dicenti laboriosa, tùm Audienti fiet molesta.

Secundò, Historias Sacras, Exempla, & miracula elige præcipua, & rariora, eorumqne narratio virtutibus, & ornamentis, quæ narrationem decere infrà docebimus, non careat.

Si verò contigerit (4) eas aliquando Ecclesiasticas Historias, & facta narrari, quæ ignaris, & insipientibus videntur infamiæ notam aliquibus Patriarchis inferre, & ad sceleris imitationem Auditores trahere, ut Incestus Loth, Adulterium Da-

(1) *Homil. in Genes.* (2) *Lib. 2. de Doctr. Christ.*
(3) *Luca 2.* (4) *P. Amadaeus Bajocensis lib. 2. cap. 4. art. 1. sect. 1.*

Davidis, &c. præmittatur aliquod lenimen, & statim ad Mysterium eleventur; nam, ut ait D. Ambrosius: (1) *Mysterium in figura, Peccatum in Historia, Culpa per hominem, Sacramentum per Verbum.*

Tertiò Sanctorum Patrum testimonia, exquisitiora, acutiora, breviora, atque aptiora fideliter ad nostrum usum assumamus; ideòque caveat prudens Tyro frequentiores, & longiores horum recitationes, quia memoriam onerant, Auditores tædio afficiunt, & Oratoriam artem enervant.

Quartò, Traditiones (est autem traditio: Doctrina aliqua, ad Religionem spectans, quæ nec in Scriptura exprimitur, nec ex illa evidenter colligitur; sed à Christo, vel Apostolis, Spiritu S. afflatis, emanata, & in Ecclesia servata, ad nos usque pervenit) vim habent delectandi, fideique faciendæ, (2) valentque præsertim in Genere Didascalico; sed in his adhibendis cautè incedendum, ne in Vulgi, Anicularumque errorem incidatur, quibus pravæ quædam, & damnandæ consuetudines pro traditionibus habentur.

Quintò, Ex Conciliis, (2) *potiora sunt ad fidem tuendam, erroresque refellendos, Universalia, ac Generalia, dummodò omninò approbata; Deinde Nationalia, Provincialia, & Diœcesana, quæ ad institutionem morum, necnon ad Ritus Ecclesiasticos explanandos possunt adhiberi.*

Sextò, *Summorum Pontificum Decreta* (2) *plurimum ponderis habere debent, tùm ad stabiliendam fidem, tùm ad mores reformandos; cautè tamen* (3) *Orator usurpet aliqua testimonia à decreto extracta, quæ benigna interpretatione indigent.*

De

(1) *Lib. 3. in Luc.* (2) *P. Amad. Baioc. lib. 2. cap. 4. art. 1. sect. 2.* (3) *Idem Amad. lib. 2. cap. 4. art. 2. sect. 1.*

De Humano Teſtimonio.

ARTICULUS II.

QUoniam Eruditum,ut ait Cicero, oportet eſſe Oratorem (1) *Et omnibus iis Artibus, quæ ſunt homine libero digna, perpolitum*, idcircò profanas eruditiones à Concionibus Sacris relegare non audemus, Vel ipſe D. Paulus Ethnicorum doctrinis quandoque uſus eſt, cùm ait: (2) *Corrumpunt bonos mores colloquia prava*, & Act. 17. *Ipſius & Genus ſumus*; Nec non cùm Cretenſes malas beſtias vocat, quod ab Epimenide deſumptum eſt; Alienus igitur ab hujuſmodi eruditionibus eſſe non debet Eccleſiaſta; ſed nec adeò frequens earum uſus, ut Concio Evangelica profanam oleat Orationem. Quod monemur, hoc eſt ut (3) *Parcè, ſobriè, ac moderatè adhibeantur, nec niſi ad inſtar Cupediarum, quæ dapibus prudenter admixtæ, appetitum provocant*; Nunc progrediamur ad ea, quæ ſub Humani teſtimonii nomine contenta declarávimus, omiſſis, quæ forenſis potiùs diſciplinæ, quàm Oratoriæ facultatis eſſe videbuntur.

Hiſtoria.

HIſtoria eſt Rerum Geſtarum cum laude, ac vituperatione Narratio.

In recenſendis profanis Hiſtoriis, præter Artis ornamenta, quibus narrationem expoliendam, ac venuſtandam infrà in 2. parte dicemus, tria hæc adnotentur. Pri-

(1) 1. *De Orat.* (2) 1. *Corynth.* 15. (3) *Amad. Baioc. lib. 2 cap. 5.*

Primum tritæ,& communes historiæ à vertice ad calcem ne recitentur; sed (1) multa per Congeriem simul copulanda sunt, & cum celeritate orationis vibranda. Sic Cicero; (2) *Hac majores nostri primùm Universam Italiam devicerunt; deinde Carthaginem exciderunt, Numantiam everterunt, Potentissimos Reges, bellicosissimas nationes in ditionem hujus Imperii redegerunt, &c.*

Secundum. Non ità priscas Historias in ore habeas, ut nihil de tuis Annalibus dicas. (3)

Tertium Denique; ut longum exemplorum contextum caveas, quod puerum sapit,

Veterum Sententiæ.

Cùm Veterum sententiæ ad rei confirmationem adhibentur, meminerit diligens Tyro, quæ in SS. PP. Testimoniis afferendis monuimus. Et quoniam juvat quandoque, cùm sententiæ Author innuitur, aliqua eum laude sociare; idcircò memoria tenere debet Orator quasdam laudandi formulas, E.G. Audite, quæ totius Scholæ miraculum S. Thomas super hoc scripsit. Ità Hostium Christi fulmen, & Eloquentiæ flumen D. Paulus, &c. Aureum illud, quod præstantissimus animorum Medicus Seneca effatus est, &c. Sic Princeps ille ingenii, & doctrinæ, ille Philosophorum quasi Deus Plato, &c.

***

(1) *Caussinus lib* 4. *cap.* 3. (2) *Phil.* 4. (3) *Caussinus lib.* 4 *cap.* 3.

Symbola.

Symbolum eſt Nota quædam, ſivè ſignum, quod externa ſpecie arcanum ſenſum velat. Symbola alia Verbis, Picturis alia exprimuntur; Quædam verò utrumque conjungunt.

Vocale Symbolum eſt, quod verbis aliquid ſcitu dignum celat, & innuit, quale eſt illud: Ignem gladio ne fodito, hoc eſt. Cùm irato, præſertim divite, & potente, ne contendas, ne ei bilem acuas.

Pictum Symbolum eſt figura adhibita ad aliquem reconditum ſenſum indicandum. Sic Ægyptii Apem pingebant, ut Regiis juſſis obſequentem Populum oſtenderent. Sic oculata Virga oſtenſa eſt Jeremiæ, ut Dei vigilantia, ejuſque vigil, ac celeris ultio ſignificaretur.

Tertia Symbolorum ſpecies ex utraque jam declarata facilè colligitur.

Hieroglyphica.

Hieroglyphica nil ferè a Symbolis differunt, cùm ejuſdem ſint naturæ, & muneris. Erant verò Hieroglyphica notæ quædam quorumdam Animalium, aut aliarum rerum, Sacris monumentis, quæ ab Ægyptiis Hieroglyphica vocabantur, inciſa, ad arcana Philoſophiæ, Theologiæque dogmata exprimenda; cùm enim nondum characteres componendis verbis, & dictionibus efformandis, inventi eſſent, his Notis vice literarum utebantur Ægyptij, ut apertiſſimè teſtatur Corn. Tac.

Ænig-

Ænigmata.

ÆNigma implexo, & obscuro sermone arcanam sententiam involuit, à Græco vocabulo, ænittomæ, quod est: Obscurè loquor.

Tribus fit modis; vel literis, vel sententiis, vel pictis imaginibus.

Literis, vel una, ut cùm quis dicit, aut pingit elementum, *S*, ad exprimendum serpentem. C, ad denotandam falcem, &c. Vel pluribus, quale est illud de Nomine JESU:

Dicito, quale putas Nomen, quod picta Columna
Inchoat, inde Tridens fuscina nectit idem.
Flexus utrinq; Uncus secat, hinc Bivii nota, claudit
Inde Uncus, medio qui stetit ante loco.

Sententiis, ut est illud Isaiæ: De radice Colubri egredietur Regulus, & Semen ejus absorbens volucrem, q.d. Ex Davide, & Ozia nascetur Ezechias, qui graviùs, quàm ipsi, vos, ò Philistæi, affliget; ut videatur vobis esse basiliscus, qui suo aspectu, & afflatu, etiam aves volantes necat, & absorbet.

Pictis tandem Imaginibus, ut si quis appingat virum seniorem, quem circumstent duodecim filii, diversis insignibus ornati, & singuli triginta filias bicolores apud se habeant, ad denotandum annum, menses, & dies.

Emblemata.

EMblema dicitur quodlibet Symbolum, ingeniosè excogitatum, ad mores pertinens, pictura, & plerumque adiecto lemmate constans, quo arguta aliqua sententia, Visque appicti Symboli judicetur: Differt Emblema ab Ænig-

mate, licet in ratione Symboli utrumque consentiat, quòd Ænigma Res, Emblema mores, Virtutem, dignitatem, & id genus alia, exprimat. Similiter Ænigma obscurum est, & ambiguum, etiam doctis, & solertibus ingeniis. Emblema apertiùs, & liquidiùs rem proponit. Emblematum exempla, qui desiderat, Alciatum legat.

Adagia.

ADagium, quod Paræmia dicitur; & Proverbium, definitur ab Erasmo Celebre dictum, scita quadam novitate insigne, vel: Est vulgare dictum, & multorum usu tritum: Ejusmodi est illud: *Nosce te ipsum*. Et illud aliud; *Conscientia mille testes*.

Parabolæ.

PArabola est narratio rei fictæ, tamquam gestæ; sed possibilis, & ad rem futuram relatæ. Differt ab Historia, quòd hæc rem gestam narrat; illa verò fictam, licet verisimilem exponit. Parabolarum usus frequentissimus Christo, ut videre est in Evangelio, ubi Regnum Cœlorum modò decem Virginibus; modò Sagenæ missæ in mare, modò Thesauro abscondito assimilatur.

Apologi.

APologus, seù fabula, est sermo falsus, veritatem effingens. Inter Apologum, & Parabolam hoc interest, quod hæc verisimilia; Apologus verò, ut plurimùm, impossibilia recenset. Adest pulcherrimum Apologi exemplum Judic,

dic. 9 8. de lignis ad electionem Regis coeuntibus, ubi sic habetur: *Ierunt ligna, ut ungerent sibi Regem, &c.*

Apologis, ut docet Fabius, (1) Rusticorum præcipuè, & imperitorum animi facilè commoventur, attamen cavendum est à crebriori Apologorum usu; nec facetis nimiùm, & ad scurrilitatem accedentibus verbis contexantur. (2) *Personam, locum, & propositum deceant. Sæpiùs ante-occupatione, seu præparatione aliqua indigent; sed ad mores instituendos Affabulatione non contorta semper inflectantur.*

Apophthegmata.

Apophthegma, ut Budæo placet, est dictũ breve, rotundum, & sententiosum. Congruit Apophthegma cum Sententia; Est autem sententia Oratio, brevi contextu explicans, quod ad hortandum, dehortandumve pertinet, ut est illa D. August. *Deus meliùs scitur nesciendo*. Verùm sententia laxiùs plerumque sumitur, & similis est Consiliis, & decretis, ut est illud Domitii: *Princeps, qui vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere.* Apophthegma verò sẽper est breve, argutum, & ad occasionem datam, ferè ex tempore respondentis, dictum. Adde quod (3) *Apophthegmata decus accipiunt ab illustribus Personis, quibus tribuuntur, quales sunt Pontifices, Imperatores, Reges, legati, &c.* Apophthegmatum exempla vide in Plutarco.

E 3 De

(1) *Lib. 5. cap. 2.* (2) *P. Amad. Bajoc. lib. 2. cap. 5. art. 3.* (3) *Caussinus lib. 4. cap. 9.*

De Argumentatione.

CAPUT V.

RAtionibus, & Argumentis ad rem probandam inventis, necesse est in aliquam Oratoriæ Argumentationis formam ea redigere; quocircà ne ab ordine recedamus, de Argumentatione sermonem adiicimus.

Argumentatio est Argumenti dispositio, sivè explicatio.

Differt Argumentatio ab Argumento: Argumentum enim est materia Argumentationis; Argumentatio est modus, ratio, & forma, qua explicatur Argumentum.

Notandum hic volumus, Argumentationes Rhetoricas non ità simplicibus verbis, strictè, & Laconicè exponẽdas, ut dialectici suas; hic enim modus ad scholas magis, & munus disputandi, quàm concionandi, est accommodatus; sed fusiùs, & per Amplificationem. Dilatentur Verbis, & Sententiis, varientur figuris; caveatque Orator, ne cum illis societatem ineat, qui steriles, jejuni, & aridi Rhetores à quibusdam appellantur.

De Divisione Argumentationis Rhetoricæ.

SECTIO I.

DUo sunt Argumentationis Oratoriæ præcipua Genera, Syllogismus, & Inductio.

De Syllogismo.

Syllogismus, latinè Ratiocinatio, tres habet Propositiones apud Dialecticos, quarum prima dicitur Major: Secunda Minor; Tertia Conclusio, seù Consequentia. Exemplum sit:

1 Quod Æternam ducit ad Gloriam, omninò est amplectendum;
2 Virtus ducit ad Æternam Gloriam;
3 Ergo, omninò Virtus est amplectenda.

Secundum Rhetores autem quinque partes habet Ratiocinatio: Propositionem, Rationem Propositionis; Assumptionem, Rationem Assumptionis, & Complexionem.

Exemplum, superiùs allatum, per Ratiocinationem Rhetoricam sic explicatur:

Propositio.	Quod Æternam ducit ad Gloriam, omninò est amplectendum;
Ratio Propositionis.	Quia Homo debet tendere ad suum finem, quæ est Gloria Æterna.
Assumptio.	Sed Virtus ducit ad Æternam Gloriā,
Ratio Assumptionis.	Quia amicos Dei nos facit.
Complexio.	Ergo Virtus omnibus est modis amplectenda.

Idem Exemplum fusiùs, & per Amplificationem.

Quid delectabilius Cœlo? Quid Cœlesti Patria suavius est, ac formosius, ubi Æterna rutilat dies, perpetua ridet amænitas; ubi festivè psallentium Choris jucundantur aures, insuetis lætitiæ spectaculis pascuntur oculi, uberrimo divinæ voluptatis Torrente potatur Animus, beatur

tur Spiritus? Nihil hìc desideratur; omnia suppetunt,& satis omnia: sed sine fastidio satietas, sine tædio assiduitas. Deus omnia. Omnibus unus omnia Deus, & in uno Deo quisque omnia. In ipso hærent, ipsi inhiant, ab ipso exhilarantur, beantur, satiantur. O qnalis beatitas? ò quanta hæc felicitas! (*Propositio*) Ecquid igitur, Fratres mei, non tentandum, ut tantam promereamur Gloriam? Quibus mediis, ut hunc beatum, & beatificum finem, cui natus, ad quem vocatus est homo, non insudandum. (*Ratio Propositionis*) Redundantia aquarum flumina per saxa, ac prærupta ruunt, ubi lacerari, prorumpi, proscindi non metuunt, quò suum finem attingant, nempè Maris sinum. Maris pericula, & labores non exhorret Nauta, ut optatis potiatur mercibus. Et desliterit Homo, Ratione præditus, Æternæ vitæ capax, ad Deum suum aspirare, Deum quærere, Pro Dei possessione lapidem omnem, ut ajunt, movere? (*Assumptio*) At Virtus est via. Virtus præbet expeditissimum ad Cælos ascensum; (*Ratio Assumptionis.*) Ea siquidem animum exornat, mentem elevat, Hominem amicat Deo, Deoque intimum facit; per quam si vivimus, honestè vivimus; in cujus studio si morimur, beatisumus; (*Complexio.*) Cur non igitur amplectenda? Cur non amanda? Et ubi pro Terrenorum Bonorum adeptione laborem omnem tam expedito, tamque hilari animo aggredimur, Virtutem unam, dulcem adeò, tot delicias, tot divitias nobis afferentem, sequi negligamus?

* *
*

De

De Inductione.

INductio est (1) Illatio ex enumeratione præcipuarum partium, vel collatione illustrium aliquot Individuorum; ità ut ex multis singularibus probetur universale.

Hæc species Argumentationis familiarissima est Oratori, & ad ornandum illustrissima.

Inductionis Exempla.

CIcero ex præcipuarum partium enumeratione colligit optimam Populi Rom. de Milone Sententiam: *Plebs Romana*, inquit, *optimè sentit de Milone; Equester ordo optimè sentit; Senatus optimè sentit; totus ergo Populus Rom. optimè de Milone sentit.*

Tertullianus ex multis similibus mortuorum Resurrectionem confirmat: (2) *Lux quotidie interfecta resplendet, & tenebræ pari vice decedendo succedunt; Sidera defuncta vivificunt; Tempora, ubi finiuntur, incipiunt; Fructus consummantur, & redeunt; Certè semina non, nisi corrupta, & dissoluta, fæcundiùs surgunt; omnia pereundo servantur, omnia de interitu reformantur.*

Apud Senecam (3) multa exempla acutè vibrantur pro sepeliendo sui homicida: *Omnibus Natura sepulturam dedit. Naufragos idem fluctus, qui expulit, sepelit; suffixorum corpora Crucibus in sepulturam suam defluunt; Eos, qui vivi uruntur, pæna*

(1) *Quintil. lib. 5. cap. 2. Voss. lib. 3. cap. 5. Farnab. in suo Indice Rhet. Verbo de confirmatione* (2) *Tertull. apol. cap.* 48. *apud Caussinum* (3) *Caussin. lib.* 4. *cap.* 56.

na funerat. Irascere interfectori; sed miserere interfecti.

In exemplorum inductionibus meminisse oportet, quod superiùs dictum est, cùm de profana Historia ageremus; nempè ut, si nota, & communia fuerint exempla, indicatis tantùm nominibus, celeriter prætereantur; secùs, trahenda erunt longiusculè; ità tamen ut nullum auribus fastidium creent.

Aliæ Oratoriæ Argumentationis formæ.

SECTIO II.

PRæter Ratiocinationem, & inductionem, dantur aliæ Oratoriæ argumentandi formæ, & sunt Enthymema, Sorites, Epicherema, Dilemma, Expeditio, Subiectio, & Exemplum, quorum ultimum ad inductionem, cætera alia ad Ratiocinationem referuntur.

De Enthymemate.

ENthymema est imperfectus Syllogismus; quia altera ex duabus Propositionibus illi deest, sivè Major, sivè Minor, E. G. Malum est mendacium, ergo fugiendum, deest hìc major propositio, quæ esset: Omne malum est fugiendum; Item: Omne malum est fugiendum, ergo fugiendum mendacium, deest hìc minor Propositio, quæ esset: Mendacium est malum.

Enthymema alterum simplex, Compositum alterum,

En-

Enthymema simplex est, quod suprà exposuimus, licet diffusè explicanda, & probanda sit illa una tantùm propositio, quæ ponitur.

Enthymema compositum est, cùm plures Propositiones simul conglobantur, ex quibus una dumtaxat Conclusio colligitur; vel è contrà ex una Propositione plures Conclusiones inferuntur.

Prioris Exemplum sit.

QUi mundanis incubat oblectamentis; Congestis inhians opibus indormit; inter fædas carnis illecebras miserè stertit; libidini, voluptati, & vanitati totus vivit; is ne de Cœlo aliquid cogitat?

Posterioris Exemplum sit.

MOriendum est; Ergo stultum est fluxis, & deperituris voluptatibus indulgere; Ergo demens est, qui temporaneis, & caducis divitiis comparandis mactè elaborat; Insanè igitur agit, qui pretiosum vitæ suæ tempus in his momentaneis, & inanibus rebus augendis profundit.

De Sorite.

SOrites est Argumentationis species, qua multis Propositionibus velut gradatim congestis, & aliis ex aliis illatis, aliquid deinde infertur.

Exemplum ex D. Hieronymo in Epist. ad Heliodorum. (1)

N*Emo Propheta in Patria sua honorem habet. At ubi honor non est, ibi contemptus est; ubi contemptus,*

(1) *Apud Granat. lib. 2. de Ratione Concion. cap 9.*

na funerat. Irascere interfectori; sed miserere interfecti.

In exemplorum inductionibus meminisse oportet, quod superiùs dictum est, cùm de profana Historia ageremus; nempè ut, si nota, & communia fuerint exempla, indicatis tantùm nominibus, celeriter prætereantur; secùs, trahenda erunt longiusculè; ità tamen ut nullum auribus fastidium creent.

Aliæ Oratoriæ Argumentationis formæ.

SECTIO II.

PRæter Ratiocinationem, & inductionem, dantur aliæ Oratoriæ argumentandi formæ, & sunt Enthymema, Sorites, Epicherema, Dilemma, Expeditio, Subiectio, & Exemplum, quorum ultimum ad inductionem, cætera alia ad Ratiocinationem referuntur.

De Enthymemate.

ENthymema est imperfectus Syllogismus; quia altera ex duabus Propositionibus illi deest, sivè Major, sivè Minor, E. G. Malum est mendacium, ergo fugiendum, deest hìc major propositio, quæ esset: Omne malum est fugiendum; Item: Omne malum est fugiendum, ergo fugiendum mendacium, deest hìc minor Propositio, quæ esset: Mendacium est malum.

Enthymema alterum simplex, Compositum alterum.

En-

Enthymema simplex est, quod suprà exposuimus, licet diffusè explicanda, & probanda sit illa una tantùm propositio, quæ ponitur.

Enthymema compositum est, cùm plures Propositiones simul conglobantur, ex quibus una dumtaxat Conclusio colligitur; vel è contrà ex una Propositione plures Conclusiones inferuntur.

Prioris Exemplum sit.

QUi mundanis incubat oblectamentis; Congestis inhians opibus indormit; inter fædas carnis illecebras miserè stertit; libidini, voluptati, & vanitati totus vivit; is ne de Cœlo aliquid cogitat?

Posterioris Exemplum sit.

MOriendum est; Ergo stultum est fluxis, & deperituris voluptatibus indulgere; Ergo demens est, qui temporaneis, & caducis divitiis comparandis mactè elaborat; Insanè igitur agit, qui pretiosum vitæ suæ tempus in his momentaneis, & inanibus rebus augendis profundit.

De Sorite.

SOrites est Argumentationis species, quæ multis Propositionibus velut gradatim congestis, & aliis ex aliis illatis, aliquid deinde infertur.

Exemplum ex D. Hieronymo in Epist. ad Heliodorum. (1)

NEmo Propheta in Patria sua honorem habet. At ubi honor non est, ibi contemptus est; ubi contemptus,

(1) *Apud Granat. lib. 2 de Ratione Concion. cap 9.*

ptus, ibi frequens injuria; ubi autem injuria, ibi & indignatio, ubi indignatio, ibi quies nulla; ubi quies non est, ibi mens à proposito sæpè deducitur; ubi autem per inquietitudinem aliquid aufertur ex studio, minùs fit ab eo, quod tollitur; & ubi minus est, perfectum non potest dici Ex hac supputatione illa summa nascitur: Monachum perfectum in Patria sua esse non posse; perfectum autem esse nolle, delinquere est.

De Epicheremate.

Epicherematis nomen (1) omni Argumentationi commune est, si ipsius vocabuli significatio attendatur; Epicherema enim græcè, Argumentationem latinè sonat. Nonnulli tamen Epicherematis nomine intelligunt (2) Syllogismum Rhetoricum, seù Ratiocinationem, de qua paulò superiùs dictum est. Alii (3) Dialecticum quoque Syllogismum Epicherema vocant. Tandem sumitur Epicherema (4) pro breviter comprehensa Ratiocinatione, cujus omnes partes in unam conferuntur; qualis est illa D. Ambrosii, intemeratæ Virginis dolorem in morte Jesu filii, exaggerantis: *Nec illud Virgo solatium habuit, quòd alium esset filium paritura.*

De Dilemmate.

Dilemma, quod bicornis Argumentatio vocatur, est Ratiocinatio in duas partes, seù ratio-

(1) *Caussin lib 6. cap. 29.* (2) *Isidor. lib. 2. originum cap. 9 Farnab. in suo Indice Rhetorico.*
(3) *Alexand. in 8. Topic. apud Caussin.* (4) *Caussin. l. b. 6. cap 29. Cyprian. lib. 3. cap. 22.*

tiones divisa, quarum utraque ferit Adversarium, ità ut, utramlibet concesserit, reprehendatur. Hoc Argumentationis genus adhibuit. D. Cyprianus (1) contrà Demetrianum. *Quæ est*, inquit, *hac insatiabilis Carnificina rabies? Quæ inexplebilis libido sævitiæ? Quin potiùs elige tibi alterutrum de duobus: Christianum esse, aut est crimen, aut non est. Si crimen est, cur non interficis confitentem? si crimen non est, quid persequeris innocentem?*

De Expeditione.

Expeditio, sivè Enumeratio est, in qua pluribus rebus expositis, & cæteris infirmatis, una reliqua necessariò confirmatur. (2)

Exemplum.

Cur mortem aliqui timeant, planè satis non intelligo; Vel enim per se ipsam, vel ex rebus ipsis, quæ mortem antecedunt vel ex iis, quæ sequuntur, timenda mors est, aut nullatenùs timenda. Sed neque per se, neque ex præcedentibus, aut consequentibus timenda mors est; ergo nulla de causa est metuenda.

De Subiectione.

Expeditioni, seù Enumerationi affinis est subiectio: ea verò est, qua quærimus ipsi, quid cõtrà nos dici possit, deinde per singulas interrogationes continuò orationem subiicimus, qua id, quod dictum est, falsum esse contendimus.

(1) *Apud Granat. lib. 2. cap. 9.* (2) *Granat. lib. 2. cap. 7.*

Exemplum Osorii Episcopi, Colligentis ex diuturna Judaeorum captivitate, eos à Deo relictos, propter ipsorum perfidiam.

QUam rem gerunt? quod scelus conflant? quae maleficia suscipiunt, propter quae à Deo, quem tam propitium olim habebant, omninò deserantur? Simulacris immolant? imò eorum contactum perhorrescunt. Commentitios Deos ascifcunt? at eo nomine, quòd Deum colant, efferuntur, & id verum. Sed moribus immanibus efferati sunt; At ipsi summam sibi laudis, aequitatis, & pietatis assumunt. Quid ergo est? parùmne supplices ad Deum preces adhibent? imò in precibus assidui sunt. Si ergo nec simulacra colunt, nec vanos Deos invocant, &c.

De Exemplo.

EXemplum est inductio imperfecta; seu (1) Argumentatio ab uno simili ad aliud; V.G. Absalon, quòd arma in Patrem turpiter movit, miserè diem obiit suum. Ergo & te, hostiliter cum Genitore confligtantem, idem manebit supplicium.

Inter Exemplum, & Inductionem discrimen hoc est, quòd Inductio ex multis singularibus universalem rem infert; Exemplum verò ex uno singulari singulare aliud probat. (2)



De

(1) *Radau. p. 1, cap. 2. qu. 3.* (2) *Farnab. in suo Indice Rhet. Verbo de Confirmatione.*

De Varianda Argumentatione.

SECTIO III.

VArietatem in Argumentatione jubet Cicero, (1) *Ne aut cognoscat artem, qui audit, aut defatigetur similitudinis satietate.*

Argumentationis variandæ plures habentur modi.

Primus est ut non semper una, eademque Argumentationis forma Rationes singulæ exponantur; sed modò Ratiocinatione, modò Enthymemate, aliàs Inductione, &c.

Secundus est, ut nec idem semper ordo in Argumentationis partibus servetur; sed invertendæ, & perturbandæ sunt; nam quò cautiùs partes confundentur, eò tutior erit usus Artificii; Quare nonnumquam priori loco ponenda est Assumptio cum ejusdem ratione, cui subiiciatur Propositio, postremùm Conclusio. Interdum ab ipsa Conclusione exordiendum erit. Quandoque ab alterutra ratione, &c. quod diligenter à Cicerone servatum reperies. Sit Exemplum in hoc Syllogismo Oratorio.

Propositio.	Ei, à quo totum acceptum est, totum debetur;
Ratio Propositionis.	Omnia namque Domino suo referuntur.
Assumptio.	Sed à Deo totum accepimus,
Ratio Assumptionis.	Quia per ipsum, & in ipso vivimus, movemur, & sumus;
Complexio.	Deo igitur totum debemus.

(1) *Cic. 2. de Orat. num. 177.*

Situs harum partium variari potest hoc modo:

(*Assumptio*) Dic mihi, paupercule, & miserabilis Homuncio, quid habes, quod à Deo non acceperis? Quidve in te est, quod tuum esse gloriari liceat? &c. (*Ratio Assumptionis*) An non à Deo Terra ista, quã premis, Aer hic, quo respiras, vita ipsa, qua vivis? Nullus in te motus, nisi moveret te Deus; & in tuo nihilo miserè adhuc jaceres, nisi è Nihilo extraxisset te Deus. A Deo igitur totum accepisti. (*Ratio Propositionis.*) Quod si Domino referuntur omnia, quæ Domini sunt; (*Propositio*) Eique totum debetur, à quo totum accipitur; (*Complexio*) Quo nam pacto uni Deo, Domino, & Creatori tuo, totum quod in te est, ipse non debeas?

Alias complures variandarum partium rationes vide, sis, apud Eruditissimum P. Michaelem Radau in suo Oratore Extemporaneo, parte 1. cap. 2. Q. 3.

Tertius modus est, ut singulas Argumentationis partes non semper judicantis, & simpliciter affirmantis modo proponat Orator, sed modò interrogando tùm se ipsum, tùm alios, ut instet, & urgeat magis; modò optando, interdum exclamando, &c. Aliisque tùm Verborum, tùm sententiarum ornamentis expolienda est Argumentatio.

Quartus denique modus fit per variatas transitiones, de quibus infrà in 2. parte,

De Amplificatione.

CAPUT VI.

Quoniam, ut diximus, sterilis esse non debet Orator, sed Argumenta, Sententias, & quæ

magni ponderis sunt loca, per amplificationem tractare, ut quod simpliciter prolatum, parvum videtur, per amplificationem majus appareat, & ad motus excitandos magis conducat; ideò necesse est amplificandi methodum tradere. Quia verò magnam habet affinitatem cum Argumentatione Amplificatio, ideò hanc ab illa sejungere non est visum.

Observandum autem volumus, cùm de Amplificatione præceptiones dantur, quod inanes, & pueriles verborum strepitus; prolixi, & fastidiosi vocum, idem significantium, circuitus; Rerum, suprà meritum, vel extrà veritatem, mendosa exaggeratio. Fuci, Phaleræ, & id genus alia, ut veram, germanamque eloquentiam non decent, ità à Sacra Oratione sunt prorsus reiicienda.

Amplificatio *est Plenitudo quædam, quæ ex omnibus rerum adjunctis, terminis, & locis, commemoratione roborat Orationem*, ità Longinus Vel: *Est gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliat in dicendo fidem*. Sic Cicero.

Differunt Argumentatio, & Amplificatio in hoc præter alia, quòd Argumentationis est fidem facere, & intellectum ad assensum vi argumentationis perducere; Amplificationis autem est affectus excitare, & voluntatem ad amandum, vel detestandum, amplectendum, vel fugiendum impellere. At fidei conciliandæ etiam deseruit Amplificatio, ut constat ex ipsa Ciceroniana definitione, quia (1) *Ubi exardescit Auditor, motumque concepit, multò firmius rebus creditis adhærescet, quàm cùm ante frigeret*.

(1) *Pal. Reg. Eloqu. exerc. 4. lect. 5. punct. 1.*

Amplificationis Partitio.

AMplificatio alia Verborum, alia Rerum.

Amplificatio Verborum.

SECTIO I.

DE Amplificatione Verborum pauca malui, quàm nihil dicere.

Orationem amplificant apta Epitheta, & Adverbiorum commoda appositio, ut: Bonus Pastor vigilanter Oves custodit suas.

Nec non verba superlativa pro Absolutis; Composita pro simplicibus, Verbalia pro Absolutis, ut: Scelestissimus, Immanissimus pro scelesto, & immani. Excruciare, dilacerare, pro cruciare, lacerare. Sapientia dominatrix pro domina.

Item verba Metaphorica, ut: Ira accensus, errore lapsus; & ea, quæ Hyperbolem sapiunt, ut Christus de Joanne (1) *Venit Joannes, neque manducans, neque bibens.*

Amplificandi etiam vim habent verba repetita, ut: Videte, Videte insuetum spectaculum.

Periphrasis, cùm scilicet Verborum circuitu explicamus, quod uno, aut paucioribus dici poterat, v g. Peccasti, per Periphrasim dices: Rem iniquam, & odiosam Deo egisti.

Synonymia, quoties idem significantia multa ponuntur. D. Cyprianus de livore: *Si recesserunt de pectore tuo tenebræ; Si nox inde discussa est; si caligo detersa, &c.*

De

(1) *Matth. cap.* 11. 18.

De Amplificatione Rerum.

SECTIO II.

Rerum Amplificatio fit quadrifariam juxtà Quintilianum. (1)

Incremento, Comparatione, Ratiocinatione, & Congerie.

Congeries.

Modus amplificandi per Congeriem usitatior est, & facilior cæteris; ideòque ab hac exordimur; faciliora enim priora sunt ordine doctrinæ, etiam cùm posteriora sunt ordine naturæ.

Congeries alia Verborum, cùm scilicet plura verba idem significantia coacervantur. D. Cyprianus contrà Demetr. *Innocentes, Justos, Deo caros domo privas, &c.* Alia sententiarum, cùm plures Orationes, seû sententiæ ejusdem ferè significationis congeruntur. Idem de Habitu Virg. *Si tu te sumptuosiùs comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos juventutis in te allicias; suspiria adolescentum post te trahas; concupiscendi libidinem nutrias, peccandi fomenta succendas; ut, etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, & te velut gladium, ac venenum videntibus prabeas; excusari non potes, quasi mente casta sis, ac pudica, &c.*

Sæpè etiam fit Congeries à conglobatis, & congestis definitionibus, Partibus, Causis, Effectis, Concomitantibus, Consequentibus, Contrariis, Si-

(1) *Lib. 8. cap. 4.*

Similitudinibus, Exemplis, Adiunctis, cæterisque aliis ex locis, unde Argumenta erui ostendimus ad rem probandam.

A multiplici Definitione, seù descriptione D. Petrus Chrysolog. Pacem amplificat: *Pax,* inquit, *inter Fratres voluntas Dei est, jucunditas Christi, Perfectio Sanctitatis, Justitia Regula, Magistra doctrinæ, &c.*

A Partium Congerie. D. Ambrosius Hominis fragilitatem, facilitatemque ad peccandum sic deplorat. (1) *Quis inter tot passiones huius corporis, inter lentas illecebras huius sæculi, tutum, atque intemeratum servare potest vestigium? Respicit oculus, & sensum mentis evertit: Audivit auris, & intentionem inflexit; Inhalavit odor, & cogitationem impedivit: Os libavit, & crimen reddidit: Tactus contigit, & ignem adolevit, &c.*

A Causis Conglobatis. D. Basilius Passionis magnitudinem 40. S. S. Martyrum, causis omnibus doloris enumeratis, exaggerat, (2) *Cùm enim,* inquit, *Tyrannus Martyrum constantiam, & respondendi libertatem vidisset, in iram excanduit, expendebatque secum, quamnam machinam excogitaret, ut longam, simulque amaram ipsis mortem construeret. Invenit itàque, & videte quàm gravem; cùm enim considerasset Regionis Naturam, quòd frigore horrida esset, & anni tempus, quod hibernum, observata nocte, in qua maximè malum ipsum augesceret, & aliàs tunc Aquilo in ipsa spiraret, jussit omnes denudatos sub dio in media Vrbe congelatos mori, &c.*

Ab Effectis simul congestis. D. Cyprianus de Bono Patientiæ: *Ipsa est, quæ iram temperat, quæ linguam frænat, quæ mentem gubernat, pacem custodit, disciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris*

(1) *Ambr. de fuga sæculi, cap. 7.* (2) *Basil. Serm. de 40. Martyr.*

iis violentiam comprimit, incendium simultatis extinguit, coercet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet, tuetur in Virginibus beatam integritatem, in Viduis laboriosam castitatem, in Coniunctis, & maritatis individuam Charitatem, facit humiles in prosperis, in adversis fortes, contra iniurias, & contumelias mites, &c.

A Cõcomitantiũ, & Cõsequẽtium enumeratione Osorius Episcopus Humanæ Vitæ miseriã elegãtissimè describit his verbis: *Quàm gravis, & acerba sit humana vitæ cõditio, quã multis incõmodis agitata, nemo poterit, vel explicando consequi vel enumerando percensere. Vitæ principium à fletu ducimus, devinctisque membris omnibus, in Terram abiecti, labores immensos à ploratibus auspicamur, &c. Quis autem poterit morborum vim, & multitudinem, qui in illam naturam teneram, & imbecillam confestim incurrunt, oratione complecti? quæ cura nutrices, quæ solicitudo Parentes afficiat? Quæ pericula sint Pueris infantibus primis illis mensibus intenta? Cùm autem ad Pubertatem perveniunt, tunc ingens vis tempestatis existit, quæ miseros homines exagitat; nec eos ullo in loco consistere patitur. hinc enim acerbi amores invadunt, inde turbulenta dissidia statum animi convellunt, &c. Quid deinde cùm adulta ætate dominandi libido inflammat animam, &c. Adde, si lubet, nuptiarum molestiam, familiæ labes, vitæ solicitudines, fori contentiones, &c. Quid autem ipsius ætatis extremæ morbos, atque molestias, & corporis exhausti deformitatem referam? &c.*

A Contrariorum oppositione, ut si de recens nato Deo dicas: Humili in loco jacet Altissimus; Servili sub forma cunctorum Dominus; Pauper in pannis, qui dives in Stellis; gemit Cœli Risus; alget Divinus Amor; & modico pascitur lacte, per quem nec ales esurit. huc pertinent etiam dissimilia, & Repugnantia.

A Si-

A Similitudinibus coacervatis, ità: (1) *Quemadmodum ignis, de parva scintilla ortus, non raro integras urbes demolitur; Quemadmodum fluvius guttatim aggeri se infundens, universam molem eruit, & evertit; Quemadmodum levis febricula ingentes morbos excitat, totasque familias absumit; sic vitia juvenum, nisi initio opprimantur, fortiùs radices agunt, donec omnem animi virtutem, omnem honesti ornatum turpissima labe conficiant.*

Ab Exemplis agglomeratis, E.G. Adversitates, & tribulationes hilari animo sustinere si velis, Crucem Domini intuere, Crucem contemplare. Sic D. Paulus in Cruce Domini gloriabatur in infirmitatibus suis; Sic Apostolus Andreas ad prospectum Crucis exhilaratus est; Sic Alii permulti à Cruce solatium in suis adversitatibus hauserunt.

Ab Adiunctis, seù circumstantiis tùm Rerum, tùm Personarum plenissimam amplificationis segetem colligimus. Verùm hìc nota, quod (1) circumstantiæ non omnes, nec certo ordine sunt exaggerandæ; sed satis est interdum aliquam, vel aliquot adhibere, eo ordine, quo placuerit. D. Hieronymus cujusdam monachi crimen, Virginem ad stuprum, fugamque solicitantis exaggerat à circumstantia loci: (2) *Infelicissime mortalium, tu speluncam illam, in qua Dei filius natus est, & Terra nostra dedit fructum suum, de stupro condicturus ingrederis? non times, ne de Præsepe infans vagiat? ne Puerpera Virgo te videat? Ne Mater Domini contempletur? Angeli clamant, Pastores currunt; Stella desuper rutilat, Magi adorant, Herodes terretur, Hierosolyma conturbatur, & in Cubiculum Virginis decepturus Virginem irrepis? &c. Tu inter*

Ostia

(1) P. Radau. part. 1. cap. 2. quæst. 10. (2) Lib. 2. ep. 3.

Ostia quondam Præsepis Domini, nunc Altaris, amatorias Epistolas fulciebas, quas postea illa miserabilis, quasi flexo adoratura genu inveniret, & legeret; & stabas deinceps in Choro psallentium, & impudicis nutibus loquebaris? proh scelus?

Incrementum.

Amplificatio per Incrementum fit, cùm per gradus crescit Oratio, & ad summum pervenit, ut: Facinus est Christum non amare; scelus est odisse; sacrilegium injuriari; Quid dicam Cruci iterum affigere? Isid. lib. 2. Soliloqu. *Magna est Virtus, si non lædas, à quo læsus es; magna fortitudo, si læsus remittas; Magna gloria, si cui potuisti nocere, parcas.* Minùs apertè, quia citrà distinctionem Graduum, crescit Oratio in illo Psalm. 47. *Admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos.*

Fit etiam Incrementum cùm non per Gradus itur ad id, quod est maximum, sed statim, & in principio ponitur id, quo nihil maius dici possit. E.G. Deum factorem tuum dereliquisti; Quid dicam amplius? Deum factorem tuum dereliquisti.

Comparatio.

Per Comparationem amplificabimus, diversa inter se, & maiora cum minoribus conferendo, non tantùm ut probemus (quod proprium est comparationis, ductæ à Comparatis) sed ut exaggeremus. In his comparationibus debent utriusque partis circumstantiæ, quæ rem augere possunt, examinari; Nec solùm Virum cum Viro,

Fa-

Factum, & rem cum alia, sed partes etiam singulas cum aliis partibus componendas esse docet Quintil. Exemplum sint divitiæ, à Christo Domino spinis comparatæ; Sic autem amplificabis: Quis iure merito divitias, à Christo Domino spinis comparatas non videat? Pungunt Spinæ, mentem lacerant divitiæ; timidè inter spinas incedimus, cum timore divitias possidemus: Sementem Patris Familias suffocant spinæ, Virtutum semina corrumpunt divitiæ; in spinis nil non amarum, in divitiis nihil non felleum, &c.

In Amplificationibus autem, quæ interdum fiunt ex Comparatione Parium, efficere debemus, ut quod exaggeramus, majus esse videatur, quàm quod prima facie apparet. V.G par videtur Christiani peccantis, & Judæ proditoris crimen; illud autem præfetatur sequenti exaggeratione. Magnum Judas admisit scelus, cùm auri cupiditate obcæcatus, Christum prodidit; Majus, & longè majus est crimen tuum, ò Christiane, cùm peccas. Ille triginta argenteis Deum vendidit; Tu viliori pretio, quale est brevis, & momentanea carnis voluptas. Ille in terris degentem, & passioni obnoxium morti tradidit; Tu regnantem in Cœlo, & impassibilem, quantum in te est, peremis. Ille aliis occidendum dedit; Tu ipse manibus tuis crucifigis, ille semel, tu millies. Ille post peccatum doluit; tu impudenter gloriaris, & exultas.

A Comparatione inferioris ad Superiorem, hoc est Heri, servum delinquentem punientis, ostendit D. Cyprianus per amplificationem jure Deum puniturum Peccatores. *Ipse*, ait, *de servo tuo exigis supplicium, & hominem homo obedire compellis, & cùm sit vobis eadem sors nascendi, conditio una moriendi, corporum materia consimilis, animarum ratio communis, æquali jure, & pari lege, vel ve-*

niatur in hunc Mundum, vel de hoc Mundo postmodùm recedatur; tamen nisi pro arbitrio tuo tibi serviatur, nisi ad voluntatis imperium pareatur; imperiosus, & nimius servitutis exactor, flagellis verberas, fame, siti, nuditate, frequenter ferro, & carcere affligis, & crucias; & non agnoscis Dominum Deum tuum, cùm sic exerceas ipse dominatum? &c.

Pulchra demum Amplificatio, quæ à Contrariorum comparatione instituitur. V.G. Si Humilitatis speciem velimus attollere, Superbiæ deformitatem ex adverso subiiciemus. Major ut exurgat liberalitatis laus, Avaritiæ probra numerabimus, &c.

Ratiocinatio.

MOdus hic amplificandi, quem Fabius Ratiocinationem vocat, tunc est, cùm, ut aliud crescat, aliud augetur, unde ad id, quod extolli volumus, ratio deducitur, v.g cùm tyranni crudelitas exaggeratur, ut major appareat Martyris fortitudo, qui patientia sua de ejus immanitate triumphavit. Eadem ratione Ezechiel (1) Casum, & ruinam Tyri amplificaturus, primum quidem ejus gloriam, immensas opes, & Emporii celebritatem magnifica oratione amplificat. A ferrei lecti magnitudine, (2) qui novem cubitos longitudinis, & quatuor latitudinis haberet, ostenditur in Sacris Paginis proceritas Corporis Regis Basan. Ab instrumento (3) nempè hasta, quòd esset quasi liciatorium texentium, Goliæ corpulentia, & fortitudo colligitur. A loco æstimatur Job, qui probus fuerit in Terra Hus, &c.

G De

(1) *Cap.* 27. (2) *Deuteron.* 3. (3) 1. *Reg.* 17.

De Figuris Amplificationis.

SECTIO III.

AD Amplificandum valent omnes figuræ vehementiores; præcipuè verò Interrogatio, Subiectio, Conversio, Hypotyposis, Prosopopœia, Exclamatio, Apostrophe, Obsecratio, &c. de quibus infrà, cùm de figuris agemus.

De proprio Amplificationis loco in Oratione.

SECTIO IV.

PRopria, & certa Amplificationis Sedes assignari vix potest. ea siquidem omnes Orationis partes ingreditur, estque velut sanguis, qui per omnia corporis membra diffunditur. Regula tamen hæc sit, ut initio gravis, & lenis sit Amplificatio; In Confirmatione, & Confutatione acrior, & vehementior. In Peroratione verò cùm de movendis affectibus agitur, laxis discurrat habenis, totisque elaboret viribus, ut triumphum assequatur.

De Diminutione, seù Extenuatione.

CAPUT VII.

NOn minùs Oratoriæ est Artis rem augere, & amplificare, quàm extenuare, & imminuere, ubi

ubi necessitas postulat;& utrumque Eloquentiæ pars est.

Extenuatio easdem penè leges sequitur, quas Amplificatio, cujus est species. Unum hoc discrimen est, quòd altera procedit magnitudinem addendo, altera detrahendo; & sicut Incrementum ab imo tendit ad summum, ità extenuatio, quæ Æmula est Incrementi, à summo decrescit ad imum.

Figuræ Extenuationibus idoneæ sunt: Ironia, Exclamatio, Apostrophe, & aliæ hujusmodi, quæ solent in Confutationibus adhiberi.

De Motibus, sivè Animi Affectibus concitandis.

CAPUT VIII.

ARdua res est; imò nihil in tota eloquentia difficilius, quàm Auditorum animos, & affectus ad arbitrium movere. Hùc omnes Oratoriæ facultatis artes, & nervi contendunt: in hoc eloquentiæ dominantis triumphus consistit; unde Cicero Reginam flexanimam eam vocat. Hoc igitur Oratoris opus esse debet; In id omne studium, conatum, ingeniique vires conferre; seque frustrà per totam Cõ cionem sentiat elaborasse, si de Audientium voluntate, & affectibus in fine non triumphaverit.

* *
*

Aptæ Oratoris Conditiones ad permovendos Affectus.

SECTIO I.

PRima Conditio ad Affectus ciendos est Oratoris ipsius probitas, morum integritas, & innocentis vitæ existimatio, quæ si dicenti deerunt, Histrionem aget, non Oratorem (1)

Secunda est, ut eos in se motus Orator sentiat, quos aliis imprimere volet, juxtà illud Horatii:

. . . . *Si vis me flere, dolendum est*
Primùm ipsi tibi.

Et Cicero (2) *Neque enim fieri potest, ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimescat aliquid, ut ad fletum, misericordiamque deducatur; nisi omnes ij motus, quos Orator adhiberi volet Judici, in ipso Oratore impressi esse, atque inusti videbuntur.* Ut igitur moveamus, moveamur ipsi; quod fiet, si, ut docet Fabius (3) rem non quasi alienam agamus, sed veluti nostram; & ità dicemus, ut in simili casu nostro essemus dicturi.

Tertia, cùm inutilia sint omnia Artis adminicula ad pios erga res spirituales affectus movendos, nisi Deus, cui patent, ac parent corda hominum, afflatu suo motum hunc animis inspiret, verbisque Oratoris pondus faciat; studeat, quisquis ad hoc Munus eligitur, profusis lacrimis, & assiduis precibus tam necessarium donum ab Eo efflagitare, qui humillimè petentibus non dedignatur præstare.

De

---

(1) *D. Ambros. 1. off. cap. 2.* (2) *Cic. 2. de Orat. num. 189.* (3) *Fab. lib. 6. cap. 2.*

De Affectuum Incitamentis.

SECTIO II.

Eos tantùm Affectus hìc tangimus, qui Sacrum ad Oratorem pertinent;atque illos præcipuè, qui,frequentiùs accidere solet, ut in Concione excitentur,ut sunt:Amor in Deum,Dilectio Proximi,Odium Peccati, Spes Divinæ Misericordiæ, Metus Divini Judicii, Mundi Contemptus, &c. (Nam Oratores Profani ad Commiserationem, vel Indignationem, Judicum, vel Audientium animos frequenter movere solent) quare nonnullos fontes pro singulis aperiemus, relicturi Christiano Oratori, ut per loca communia, & circumstantias eos amplificet.

Amor in Deum.

Amorem in Deum excitant.

Primò.Infinita ejus Bonitas, & Pulchritudo: Bonum enim,& Pulchrum sunt omnibus desiderabilia, & amabilia,ut ait D. Dionys. de Divin. Nom.

Secundò. Charitas, qua dilexit nos, etiam antequam essemus;atque ità mox dilexit, ut *Filium suum unigenitum daret* (1)

Tertiò. Cognatio, quam cum Deo habemus, cujus Genus, & Filii sumus, unde Proph. *Numquid non ipse est Pater tuus,qui possedit te,& fecit,& creavit te?* Deuteron. 32. 6.

Quartò. Beneficentia, qua tot nobis beneficia contulit & Corporis, & Animæ, & Naturæ, &

(1) Joan. 3.

Gratia, & Communia, & privata, quorum omniū Illud summum & maximum, quòd redemit nos in sanguine suo.

Quintò. Facilitas in amore præstando. Hinc D. Aug. (1) *Reliquis operibus bonis interdum potest aliquis aliquam excusationem prætendere: in habenda verò dilectione nullus se poterit excusare. Potest mihi dicere aliquis: non possum jejunare: numquid potest dicere: Non possum amare?*

Sextò. Naturæ instinctus, quo homo ad Deum amandum provocatur. Unde D. Bernardus: (2) *Inexcusabilis est etiam infidelis, si non diligat Dominum suum; Clamat namque intus ei innata, & non ignota ratio Justitiæ, qua &c.*

Septimò. Dei Præceptum.

Hæc, & innumera alia, quibus Sacri libri exuberant, copiosam Divini Amoris excitandi materiam sufficient.

Dilectio erga Proximum.

Dilectionis ergà Proximum incitamenta sunt. Præceptum Dei, quo quisque jubetur diligere Proximum suum, sicut se ipsum.

Naturæ similitudo; Omne quippè simile diligit sibi simile.

Fraternitatis titulus; Eumdem enim Patrem Christum omnes habemus, qui nos genuit verbo veritatis.

Adde quòd ejusdem Christi membra sumus; unde D. Basilius. (3) *Consideremus*, inquit, *amorem, quem sibi mutuò membra impendunt, se defendunt, se adjuvant, & dolent omnia membra invicem* ma-

(1) D. Aug. ferm. 69. (2) Bernard. tract. de dilig. Deo. (3) Basil. Epist. 68.

malum alicuius membri. Quod Homo est imago Dei, & ex D. Chrysostomo (1) *Sicut in Imagine Rex honoratur, vel contemnitur, sic Deus in homine, vel diligitur, vel oditur*. Quòd omnes Christiani ad eamdem Mensam accumbunt, eodem Christi Corpore, & Sanguine saginantur, cæterisque aliis Sacramentis omnes pari sorte fruuntur. Præterea quòd ejusdem Beatitudinis spem aliquando consequendæ omnes habemus.

Lethalis peccati odium, ac de eodem dolor.

Lethalis peccati odium, & dolor excitantur.

1. Proposita peccati turpitudine.
2. Momentanea voluptatis duratione.
3. Infinita Dei offensi injuria.
4. Personæ lædentis conditione.
5. Spiritualium Bonorum jactura.
6. Emerita Dei indignatione.
7. Divinæ Justitiæ timore.
8. Reddendæ rationis cogitatione.
9. Judicii formidanda severitate.
10. Supplicii acerbitate.
11. Gehennæ æternitate, & his similibus.

Divinæ Misericordiæ Spes.

Divinæ Misericordiæ spem facilè suscitabimus, si hæc motiva proponantur.

1. Infinitus Dei Amor, qui omnes homines vult salvos fieri.

2. Ejus-

(1) *Chrysost. Homil. 24. in Matth.*

2. Ejusdem Benignitas, qua peccatores ad Pœnitentiam invitat.
3. Christi Passio, & Sanguis pro communi omnium salute profusus.
4. Sacramenta ad nostram salutem parata.
5. Patientia, qua ad id tempus expectati sumus ad conversionem.
6. Beatissimæ Virginis, Sanctorumque omnium opes, & Præsidia.
7. Exempla celebrium Peccatorum, quibus Deus pepercit, & inter maximos, ac præcipuos hodie Sanctos numerantur in Cœlis.

Divini Iudicii Metus.

Metum Divini Judicii movere possunt.
1. Peccatorum multitudo, & gravitas.
2. Incerta vitæ conditio.
3. Mortis inevitabilis necessitas.
4. Divinorum Judiciorum Abyssus.
5. Districta criminum discussio.
6. Judicis formidanda sententia.
7. Supplicii acerbitas, & Gehennæ æternitas.

Contemptus Mundi.

Mundi contemptum excitant.
1. Caducitas Terrenarum rerum.
2. Earumdem instabilitas.
3. Miseriæ assiduæ, afflictiones, & pericula.
4. Vitæ brevitas.
5. Cælestium bonorum æternitas.
6. Dei perennis fruitio, & multa id genus alia.

Motiva ad alios pios affectus, in concione moveri solitos, excitandos, qui desiderat, Sanctorum.

rum P.P. volumina evolvat, lectitet, atque attentè observet.

Notandum intereà, quod non nisi post rem aliquam insignem amplificatam, aut probatam, affectus excitari solent.

Nota insuper quod, etsi motus per Universam Orationem diffundi possunt; videndum est tamen ubi præcipuè sint adhibendi.

Figuræ aptiores ad Affectus concitandos.

SECTIO III.

Figuræ aptiores ad Affectus ciendos sunt.

Exclamatio, ut: *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati?* (1)

Apostrophe, ut: *Obstupescite Cœli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer.* (2)

Interrogatio, ut si, Dei amore exaggerato, his interrogationibus urgeas: Potes ne ad tot stupenda charitatis argumenta, amorem Amanti nō rependere? Adeò ne gelidum tibi cor, ut omnibus his beneficiorum flammis non incalescat? Quid humanam in te Naturam jactitas, si ejusdem Naturæ instinctum haud sentis? Quis Filius Patrem suum non diligat? Nonne & feræ ipsæ hoc præstant? &c.

Obsecratio, sic D. Paulus: (3) *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem.*

Adjuratio, ut: Adiuro te, quisquis es, Christiane,

(1) *D. Paul. Galat.* 3. 1. (2) *Jeremiæ* 2.
(3) *D. Paul. Rom.* 12. 4.


ne, ut attentè meditere, ac præsenti animo recogites, quàm stultè sibi consulant, qui ficta veris, Terrena Cœlestibus, fluxa, & momentanea præeligunt æternis. Qui pro minima recula infinitum Thesaurum, pro angustissimo formicarum nidulo Regale Cœli Palatium abiiciunt.

Optatio, ut est illud in Deutoron. *Utinam saperent, ac novissima providerent.* (1)

Imprecatio, seù Execratio sic Oseæ (2) *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deũ suum: in gladio pereant, parvuli eorum elidantur, & fœta ejus discindantur.*


Admiratio, qualis illa Hieremiæ (3) *Quomodo sedet sola Civitas plena populo?*

His figuris addi possunt Comminatio, Cõquestio, Increpatio, &c. de quibus in tertia parte, atque hæc de Inventione.



De

(1) *Deutoron.* 32.29. (2) *Osea* 14.1. (3) *Hierem. Thren.* 1.



De Dispositione.

PARS SECVNDA.

NIl pulchrius est Ordine. Nihil recta dispositione utilius, magisque necessarium. Ordine pugnant Exercitus: Ordine membra singula suis aptantur locis à statuario: Ordine stat ipsa Natura: quo confuso, nec victoria ex pugna; nec decor in statua; nec durabile quid esset in Mundo. Hanc Oeconomiam non minùs, quàm cætera, sibi postulat Eloquentia; tunc enim venusta non modò, & elegans; sed efficax, & lacertosa fuerit Oratio, si

(1) *Singula quæque locum teneant sortita decenter*; secùs verò tumultuabitur, eritque ceù monstrum illud Horatianum ex variis animantibus conflatum, &

(1) . . . . *velut Ægri somnia, vanæ*
Fingentur species, ut nec pes, nec caput uni
Reddantur formæ, &c.

Magna igitur opus est Prudentia in hac parte, & ut Inventio ingenium, ità Dispositio magnum requirit Judicium, quo sciat Orator inventa omnia maturiùs examinare, & ex congesta supellectili ea tantùm eligere, quæ præclariora sunt, & ad rem magis collineantia, reiiciantur aliena, com-

(1) *Horat. in Art. Poet.*

communia,& futilia. Deligantur pulchra, nervosa,& florida. Ex his verò videndum quid Exordio, quid Introductioni, quid Probationi,& motibus excitandis magis congruat. Itidem quo ad invicem ordine statuenda sint Argumenta; Quæ argumentationis forma singulis assignanda; Quibus transitionibus copulanda, &c. Hæc omnia præmaturo consilio, & accurata electione si fiant, nec elegantia, nec decor, nec pondus, nec vigor in Oratione desiderabitur.

Quid sit Dispositio, & Quotuplex.

QVÆSTIO I.

Dispositio definitur à Cicerone *Rerum inventarum in ordinem distributio.* A Cornificio verò: *Ordo, ac distributio rerum, quæ demonstrat, quid quibusque locis sit collocandum.*

Dispositio ex eodem Cicerone alia Naturalis; Artificialis alia.

Naturalis est, quæ Naturæ Ordinem servat, resque priùs, aut posteriùs locat, ut priores, vel posteriores sunt, sivè tempore, sivè natura, sivè loco, sivè dignitate. Tempore, ut Hodiernus dies crastinum præit. Natura, ut causa præcedit effectum. Loco, ut Cœlum superius est Terra. Dignitate, ut Aurum præstantius habetur Argento.

Artificialis est, quæ ab Arte dirigitur, ejusque Regulas,& finem, Naturæ Ordine plerumque non servato, adimplere satagit.

Insuper dispositio Oratoria, alia versatur circà partes potiores Concionis, ut sunt Proœmium, Propositio, Introductio, Confirmatio, & Epilogus; Alia circà ea, quæ unicuique parti conveniunt, ut sunt Argumenta, Conceptus,& cætera,

qui-

quibus partes ipsæ construuntur.

Dispositio Partium Orationis, vel est naturalis, cùm scilicet eo loco, & ordine disponuntur partes, quo paulò ante recensitæ sunt; Natura siquidem dictat, ut rem aliquam apud aliquem quis dicturus, prius exordii loco aliquid dicat, quo benevolentiam, & attentionem sibi conciliet, inde rem proponat, propositam confirmet; denique per preces moveat,& flectat. Vel est artificialis, cùm aut ordo harum partium immutatur, quod fecit Tullius in Miloniana, confutationem Confirmationi præferendo; aut pars aliqua omittitur, ut inferiùs dicemus.

Similiter Dispositio eorum, quæ partibus conveniunt, vel naturæ ordinem sequitur, vel artis judicio gubernatur.

Naturæ ordinem sectabimur, si priùs tractemus ea, quæ ad sequentium intelligentiam vel necessaria sunt, vel utilia; si à communioribus ad minùs communia, à facilioribus ad difficiliora, à magis notis ad minùs nota procedamus; si tandem ab iis, quæ priora sunt vel tempore, vel natura, vel loco, vel dignitate, ad posteriora transitus fiat.

Artis autem Oeconomia naturalem ordinem negligit, resque postponit, vel præponit, ut expedire magis videbitur.

De Partium Orationis Numero.

QVÆSTIO II.

PLenissimæ, atque perfectissimæ Orationis partes in causis judicialibus quinque assignantur: Proœmium, Narratio, Propositio (cui Parti-

 tio,

tio, seù Divisio subtexitur) Confirmatio, & Peroratio; nam Confutatio, in Confirmatione comprehenditur.

Primò enim Auditoris animum præparat Orator ad audiendum.

Secundò Factum exponit, ut deinde statum Quæstionis aperiat.

Tertiò, controversia constituitur, & Orationis membra per partitionem distinguuntur.

Quarto, Confirmatur, quod intenditur, & quę in contrarium adduci possunt, refelluntur.

Quintò, denique artificioso termino clauditur Oratio.

Totidem, atque eædem sunt Partes Orationis Sacræ, Introductione tantummodò in locum Narrationis suffecta; cùm enim narratio sit de præteritis, & deliberativum genus consultet de futuris, non potest narratio, prout est expositio causæ, instituto nostro convenire.

Sacræ igitur Orationis Partes sunt: Proœmiũ, Propositio, cum sua divisione, Introductio, Confirmatio, & Epilogus.

Alii aliter has partes disponunt, Divisioné scilicet Propositionis post Introductionem statuentes, ità ut eorum ordo sit, ut præeat Exordium, subeat brevis Propositi designatio, succedat Introductio, Divisio sequatur, quam Confirmatio, & Epilogus excipiant; hac scilicet ratione, quod Exordii scopus sit attentionem, & benevolentiam conciliare, necnon docilitatem comparare brevi Propositionis denunciatione: Introductionis verò finis, ad Quæstionis statum, & principia Auditores adducere.

Quæres hìc an omnes suprà recensitæ partes necessariò semper sint apponendæ in Concione, ità ut, siqua earum omittatur, manca, & clauda censenda sit Oratio.

Re-

Respondeo quòd, sicut in Genere judiciali nonnumquam accidit, ut Exordium omittatur, quandoque etiam Narratio, imò interdum & Epilogus; ità in Oratione Sacra, pro rerum, locorum, & temporum opportunitate, multa succidi, & mutilari quandoque licet. Duo sunt, quæ nullatenùs omitti possunt; Propositio, & Confirmatio, utpotè partes essentiales; Reliquæ sunt accidentales, & ascititiæ. Nunc de ipsis partibus singulatim.

De Exordio.

CAPUT I.

Exordium quid sit, & quot ejus Officia.

SECTIO I.

Exordium, ex Cicerone, est *principium Orationis, per quod Auditoris animus ad audiendum paratur*. Dicitur etiam Proœmium, Præfatio, Præloquium, &c.

Tria vulgò Exordii munera perscribuntur; Auditorum benevolentiam conciliare; Docilitatem facere; Attentionem comparare.

Benevolentiæ conciliandæ duo potissimi assignantur modi, primus est à persona Oratoris, si suam humilitatem, indignitatem, & insufficientiam fateatur; si auditorum moribus sese accommodet; si officiosum animum, eosque juvandi desiderium ostendat; si officia iisdem exhibita quàm modestissimè recenseat. Secundus à persona Auditorum, si eorum merita, dignitatem, & virtutes enumeret.

Docilitas fit, cùm paucis verbis, & dilucidè rerum dicendarum summa proponitur.

Attentio excitatur, si dicturum se polliceatur Orator Magna,nova,jucunda,necessaria, &c.

An verò omnia hæc tria Sacræ Concionis Exordium agere debeat,nonnulli inficiantur,nec abs re; ajunt enim raro accidere benevolentiæ conciliandæ necessitatem;siquidem de rebus, ad ipsos Auditores, vel ad Dei cultum, & Religionem pertinentibus differentem Ecclesiastam, omnes libenter audiunt,amant,suspiciunt.

At neque attentionis captatio necessaria in exordio; (1) cùm enim in principiis attenti jam sint Auditores, quid opus est attentionem quærere? fortasse,ut per totam concionem præsentes animos habeant;& quidem ultrò attenderint,si res ipsa placuerit;secùs,frustrà in aucupanda attentione laboratum fuerit. Non igitur longa Proœmia, nec prævia promissa de magnis, & novis dicendis;verùm res ipsa, aptè, ornatèque dicta, attentos Auditores facit. Dic benè, audieris attentè.

Unum in exordiis videtur maximè necessarium,nempè docilitas; sed cavendum est, ut ait disertissimus Caussinus, (1) *Ne, dum vis dociles facere Auditores,incipias divisionibus, & subdivisionibus, eos confundere.*

De variis Exordiorum Generibus.

SECTIO II.

TOt adeò, & varia traduntur ab Eloquentiæ professoribus Exordiorum genera,ut si Tyronibus

(1) *Caussin.lib.6. cap.6.*

nibus noſtris ea perſcribere luberet, mentem potiùs obruerent, quàm quidquam luminis afferrent. Omiſſis igitur aliis quamplurimis, octo Exordiorum Fontes aperire ſatis duximus, ad quorum exemplum alios per ſe poterit ſibi Lector patefacere. Primus eſt ab Expoſitione, Secundus a Viſceribus cauſæ, Tertius ex Abundantiâ Quartus ab Exemplis, Quintus ab Opinione, Sextus à Contrario, Septimus ab Adjunctis, Octavus ex Abrupto.

Exordium ab Expoſitione.

ARTICULUS I.

Exordium ab Expoſitione eſt, quo Orator, vel ſuum finem aperit; vel Thematis ſenſum exponit; vel Evangelii declarat Hiſtoriam.

I. Expoſitio finis non ambitioſo verborum circuitu, non fucis, & calamiſtris; verùm ſimplici, & rotunda propoſiti explanatione fieri plerumque ſolet. E. G. Peccatoris amentiam, ad ſupremum uſque vitæ ſpatium pœnitentiam prorogantis, oſtendere aggredior, Auditores, &c. item: Agitur hodie de ſecundo Divinæ legis mādato, hoc eſt, de Dilectione proximi, &c. D. Gregorius Nazian. de D. Athanaſii laudibus verba facturus, ſic orſus eſt: Athanaſium laudans, Virtutem laudabo.

II. Expoſitio Thematis plurimum habet venuſtatis, & gratiæ. Sit Thema, v.g. Illud Evangelicum: *Siquis vult venire poſt me, abneget ſemetipsū,* Sic per Exordium exponi poterit: Arduum nimis, & perdifficile videtur factu, quod Chriſtus Dominus, ſui ſequelam meditanti faciendum proponit; ut ſcilicet abneget ſemetipſum.

(1) *Quid est, quod dicitur, ut relinquamus nos? Si enim nosmetipsos relinquimus, quò ibimus extrà nos? vel quis est, qui vadit, si se deserit? Sed aliud sumus per peccatum lapsi, aliud per naturam conditi; aliud, quod fecimus, aliud, quod facti sumus: relinquamus nosmetipsos, quales peccando nos fecimus, & maneamus nosmetipsi, quales per gratiam facti sumus. Ecce etenim qui superbus fuit, si conversus ad Christum, humilis factus est; semetipsum reliquit: si luxuriosus, &c. Dicat ergo Veritas, dicat: Siquis vult venire post me, abneget semetipsum, quia nisi quis à semetipso deficiat, ad eum, qui super ipsum est, non appropinquat, &c.*

III. Evangelicæ Historiæ expositio duobus modis fieri potest.

Prior est cùm integra historia, simplici stylo, & breviter, per præcipua tantùm capita percurritur, cuius finem claudat (2) aliquod Epiphonema, seù sententia, quæ propositum, ex narrata Historia depromptum, & in concione tractandum aperiat. Sit exemplum de decem leprosis, à Christo mundatis, poteris hoc modo simpliciter exordiri: Habemus hodie in contextu Evangelico D. Lucæ, processisse obviàm Jesu decem viros, lepræ tabe infectos, qui stantes à longè, &c. & narratur tota Historia; tùm claudes hac sententia: Quid ingrati animi vitio turpius umquam, aut intolerabilius? hoc ceù vitiorum omnium maximè exosum Deo, maximèque ad Divinæ Munificentiæ fontem exsiccandum potens, insequi aggredior hodierna Concione, &c.

At quia prior hic Expositionis modus facillimè languet, ac repit, (2) illustrari poterit ab Oratore præmissa aliqua Propositione, quæ Evangelii mox narrandi sensum tractandum pau-

cis

---

(1) *Ex D. Gregor. Papa. Homil. 32 in Evang.*

(2) *P. Amad. Baioc. l. 3. c. 2. ar. 3. sect. 1.*

cis complectatur. E.G. Nemo est, qui ad beneficia consequenda, humiles, atque officiosas Deo preces non solvat: Pauci, qui de beneficiis acceptis gratam Deo memoriam exhibeant. Veritatis hujus experientia liquet ex Evangelii hodierni historia, quam ità narrat S. Lucas: Et instituit narrationem, quæ exornari poterit (1) per acutas *S. S. P.P.* Sententias, potioribus Evangelicæ Historiæ partibus in modum Paraphrasis inspersas.

Posterior Expositionis modus venustior est, atque elegantior; fitque, cùm ante Evangelicæ Historiæ narrationem (1) ponitur Propositio, quæ potiores Evangelii partes, aliquibus capitibus summariè prænotatis, complectatur. Appingo exemplum de Matre filiorum Zebedæi, à P. Amadæo Baiocensi concinnè satis laboratum, & in sua eloquentia Christiana venustissimè expressum: (1) *Importunam, stultam, superbam, & injustam petitionem Matris filiorum Zebedæi, Christo factam, proponit nobis Hodiernum Evangelium. Importuna quidem fuit quantùm ad tempus; stulta quantùm ad materiam; superba quantùm ad gradum, injusta quantùm ad ordinem spectabat. Importuna sanè, quæ, cùm de opprobriis, sibi ferendis, Christus loqueretur, petitura honores tunc accessit. Stulta prorsus petitio, quæ ignorat quid poscit;* nescitis, *inquit Christus,* quid petatis. *Superba, quæ ad primos gradus aspirat;* dic, *inquit,* ut sedeãt hi duo filii mei unus ad dexteram, alius ad sinistram. *Injusta tandem postulatio, quæ præmium ante meritum petit. At petitionis defectus omnes emendat Christus, Justus injustitiam, Sapiẽs ignorantiam, Humilis superbiam, Prudens importunitatem. Justus arguit, corrigitque injustitiam, dum labores commemorat.* Potestis, *inquit*, bibere ca-

(1) *P. Amad. Baioc. lib. 3. cap. 2. art. 3 sect. 1.*

calicem, quem ego bibiturus sum? *Sapiens ignorantiam docet, dum ait:* Nescitis quid petatis. *Humilis superbiam frangit, dicens:* Non est meum dare vobis. *Prudens denique importunitatem reprimit, dum petitionis adimpletionem in aliud tempus remittit his verbis:* Calicem quidem meum bibetis, &c. *Ex hoc imprudentis Matris exemplo discant Parentes ea Filiis procurare, quæ conveniant, &c.* Propositum hoc est maximè necessarium, mihique hodierna Concione expendendum, &c.

Vel (1) poterit ante Expositionem Evangelii adhiberi Præfatiuncula per aliquod celebre dictum, elegantem metaphoram, idoneum exemplum, aliudvè simile, quod in Evangelii sensum conspiret, unde facile sit descendere ad textus narrationem.

Exordium ex visceribus causæ.

ARTICULUS II.

Exordium ex visceribus causæ illud est, quod ab internis principiis, & ex natura rei tractandæ desumitur, ut cùm quis aliquem laudandum sibi proponens, Exordium auspicatur à necessitate virtutis laudandæ, seù de peccato agens, à vilitate creaturarum, quibus miserè se homo mancipium addicit, ordiatur. Constituamus hoc Thema: Singulis horis mors timenda est: à visceribus rei sic poteris exordiri. Certa, & firma super omnes mortales vivit de Cęlo sententia; ut aliquãdo exeat, qui semel Mundum intravit: Hospites sumus, quotquot hìc vivimus; diversorium Terra ista, quam colimus; Cœlum Patria. Numquid Hospes

(1) *P. Amad. Bajot. lib. 3. cap. 2. art. 3. sect. 1.*

Hospes in diversorio affigi debet, quem Patria repetit per naturam? Non datum est animæ regnare in corpore, sed hospitari; non permanere, sed peregrinari; ideòque illuc illi revertendum, unde profecta est; eò redeundum, quò eius revocant exordia. Exeundum est igitur ex hoc Mundo & de Terra sub Terram, de vivis ad mortuos commigrandum; quo verò tempore id futurum sit, incerta omninò res est. Adest mors cùm minùs expectatur, & præter humanę spei fundamentum, tunc propè est, cùm procul creditur. Non ætas obstat, quò minùs cita mors veniat; non vires, non firma corporis habitudo, non honorum potentia, &c hinc Poeta:

Et Magnos, parvosque terit; nam fortibus æquat
Imbelles, Populisque Duces, Seniumque Juventæ.

Idcircò in Sacris literis Furis adventui mors comparatur; sicut enim fur, &c. An complurimis id exemplis compertum non habemus? Quot inter opiparæ mensæ delicias, præcluso spiritu, repentè animam egerunt? Quot in medio calicis haustu, vel soporæ noctis quiete, subita morte correpti sunt? &c. Improvisa igitur mors adest & ideòque singulis horis pertimescenda, quod erit nostræ Concionis Thema, &c.

Exordium ex Abundanti.

ARTICULUS III.

EXordium ex Abundanti vocatur, cùm ex multis, aut laude, aut vituperatione dignis, quæ singillatim augere possent Orationem, unum aliquod eligitur. Vel: Cùm affirmat Orator tàm copiosam esse sibi ad dicendum materiem, ut necesse habeat multa concidere, & præterire, quò libe-

liberiùs possit aliquibus inhærere. Proferamus exemplum. Facturo mihi verba de Angelici Doctoris laudibus, cujus annua nobis hodie recurrit Celebritas, tot adeò laudanda occurrunt, ut, quod ex multis eligam, aut unde initium sumam, penitùs ignorem. Prior hinc assurgit Pietas, quam ab incunabulis altricem habuit, & magistram: illinc Puritas, quæ ad extremum usque vitæ diem intemerata permansit. Et dum in his demirandis obtutum figo, vocat ad se Humilitas, vocat Sapientia, mores, gesta, & miracula vocant, quorum singula, ut præcipuo in ejus vita fulserunt exemplo, ità præcipuum me sui præconem exposcunt. Heù quid agam? &c. Omnia laudare si velim, multitudine obruar, & offendar; si nolim, offendo, &c. sed date veniam, ò sanctissima Virtutum Agmina, satius est de una parum dicere, quàm de omnibus nihil. &c. Sit igitur Panegyris nostræ argumentum admiranda D. Thomæ Sapientia, quam & Ecclesiæ subsidium, & hæresis excidium fuisse ostendam, &c.

Ex Abundanti quoque exordimur, cùm ex multis Sacrorum Doctorum expositionibus, super aliqua re allatis, unam ex his dicendi facimus argumentum.

Et quoniam genus hoc Exordii communius est, & tyronibus admodùm familiare, videndum est, ne crèbrò id fiat; semel enim non improbatur, frequenter adhibitum fastiditur.

Exordium ab Exemplis.

ARTICULUS IV.

Exemplum, quod est facti alicuius, vel dicti narratio, ob similitudinem, quam habet cum re

re dicenda, benè parat Auditorem ad propositi tractandi perceptionem. Ab Exemplo igitur exordiri nihil vetat; Quòd (1) si propria huic statim accommodetur redditio, idque optimè fiat, specimen habet eruditionis, & ingenii. Mirandum profectò, feræque posteritatis memoria dignum fuit, quod ex Apollinis olim cortina prodiit oraculum, ut scribit Atticæ eloquentiæ Princeps Dion. Cùm enim consulerent (1) Athenienses quanam ratione optimis legibus, & institutis vincirent Civitatem, responsum hoc acceperunt, beatam scilicet fore Remp. si liberorum auribus, quod omnium pretiosissimum est appenderent. At illi Puerorum auriculas pertundebant, auro, & gemmis onerabant, hoc rati in omnium rerum natura esse præstantissimum; & ità Phrygum, Lydorum, Arabum effœminatos pusiones, non Athenienses facere videbantur. Ego verò de optima filiorum educatione dicturus hodie, hoc suadeo, ut eorum auribus Christi legem, Sanctumque Dei timorem suggeratis, &c.

Huc etiam pertinent Historiæ, Parabolæ, Apophthegmata, similitudines, Fabulæ, Emblemata, &c. quorum, ut dilucidatione non indigentium, exempla hìc attexere opus non est.

Exordium ab Opinione.

ARTICULUS V.

Exordium ab Opinione dicitur, cùm Orator Auditorum opinionem, & judicium de re dicenda prospiciens, inde capit dicendi initium; ità planè, ut si Auditoris opinio faveat Oratoris in-

(1) *Causin. lib. 6. cap. 10.*

intento, eadem utatur ad conciliandam sibi benevolentiam Differendum sit E. G de Pace: si ad concordiam Auditores propensi sint, & optimè erga eam affecti; haud poterunt concordiæ virtutem in Exordio commendantem tacitè benevolentia non complecti.

Si verò Auditorum opinio non faveat, quòd incommodi, & difficultatis non nihil Propositum præsagiat, industrii Oratoris erit, antequam ad rem accedat, per Insinuationem, & Anteoccupationem impedimenta omnia disturbare, & opinionem minùs propitiam ab eorum animis evellere. Sit sermo v. g in Dominica Palmarum de eleemosyna facienda, super illud Evangelii: *Straverunt vestimenta sua in via.* Sic poterit Exordiũ institui. Arduum fortasse, & vix imitatione prosequendum videretur, si, quod Hebræi hodie, idem Christo obsequium vobis præstandum suaderem, ut scilicet propria vestimenta exuentes, ad Christi pedes hæc abiiciatis. Arduum, inquam; quis enim iis, quæ ad sui corporis usum necessaria sunt, corpus ipsum denudari libenter ferat? &c Verumenimverò, cùm omnia, quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sint, quod ab aliis factum legimus, id & nos facere, indignum videri non debet Et quid magnum est, fratres carissimi, modica, & vilia elargiri illi, cui tam grandia, & pretiosa accepta referimus? Vestes Corporis ei præbere, qui tanto amoris excessu corpus suum dedit in Ara Crucis immolandum, idemque in Altari nobis quotidie manducandum? &c. Vestimenta igitur nostra elargienda sunt Christo; sed quomodò, audite. Mundana ista, quæ possidemus, nil aliud sunt, ut ait D. Gregor. (1) quàm quædam Corporis indumenta; Pauperes verò, Chri-

(1) *Greg. Hom. 32. in Evangel.*

Christi personam repræsentant, eodem Christo testante: (1) Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Vestimenta igitur ad Christi pedes abiicere, aliud non est, quàm eleemosynam pauperibus erogare: hoc vobis suadere nitor hodie, &c. Utque libentiùs manum vestram aperiatis inopi, & palmas extendatis ad pauperes, breviter ostendam, 1. Quàm gloriosum sit egentes juvare, 2. Quàm utile, 3. Quàm necessarium.

Eodem præmunitionis genere utendum est ad contrariam opinionem removendam, si Orator malè audiat, vel Auditor sit malè affectus, vel aliquid aliud occurrerit incommodi, quod inter dicendum pati posset Ecclesiasta.

Exordium à Contrario.

ARTICULUS VI.

INgeniosum est Exordium, quod à Contrario ducitur. fit autem, cùm ipso dicendi initio, sententiam nostræ contrariam probandam suscipimus; mox ea reiecta, & contrariis rationibus infirmatis, nostram statuimus, & ad Propositionem accessum facimus. Statuatur v g. hæc Propositio: Servire Deo facile est, & periucundum: à contraria sententia sic inchoabis. Nescio quonam deviæ mentis impulsu efferantur nonnulli, & fortasse non pauci, ut sibi suadeant, nil difficilius, nil durius esse in hac vita, quàm servire Deo, & Divinæ Legis jugum æqua cervice deportare. Neque hoc sibi tantùm effingunt, aliis quoque suadere satagunt. An non ardua, inquiunt, illa via, quò præter itineris angustiam, & vepres, & spi-

(1) Matth. 25. 40.

næ,& mille,per abrupta locorum, discrimina accedunt? Nonne laboriosum illud obsequium, quod absque onerosæ Crucis gravamine præstari non potest? Quid aliud servire Deo, quàm Mundo Crucifigi? quo quid acerbius? à Mundanis voluptatibus abstinere, quo quid difficilius? Honores,& divitias contemnere; paupertatem diligere; mala libentiùs tolerare, quàm facere; pro contumeliis beneficia reddere,&c. quo quid gravius? Adde quod Jejuniis attenuanda caro est,vigiliis,& orationibus instandum; flagris in membra sæviendum, & id genus plura, quæ potiùs ad pœnam,quàm ad salutem proposita à Domino videntur. Hucusque delirat humana cæcitas; tantumque laboris sibi fingit in præcepto, ut minùs dura videatur, Tyranno mancipata servitus, quàm,quod Christo debetur,obsequium, &c. Sed falsa est hæc opinio, & prorsus reiicienda;siquidem,ut Divinæ Scripturæ testantur, Ratio probat,& usus apertè demonstrat, nil facilius est in hac vita,nil dulcius,quàm servire Deo. Id breviter ostendam duplici ex capite, 1. Ex propensione Humanæ Naturæ, 2. Ex Adiutorio Divinæ Gratiæ.

Est & alius Exordii à Contrario usus,cùm scilicet Orator non statim ipso aditu opponit se Auditorum sententiæ,quam oppugnat; sed principio ei obsequi videtur, ut minus molesta mox accidat repulsa. Ità Ille (1) contrà inveteratas animorum inimicitias declamaturus,exorsus est. Longè aliam, imò & oppositam cæteris concionatoribus methodum sequor, de infensis Christianorum inter se odiis verba hodie facturus. Solent illi omnes Eloquentiæ nervos intendere, omnes

(1) *Apud P. Amad. Baiecens. disposit. cap. 2. art. 3. sect. 6.*

omnes Oratoriæ facultatis artes percurrere; & modò minas, modò preces, nunc obiurgationes, nunc obtestationes geminare, ut simultates evellant, odia eradicent. Incassùm tamen, ut experientia compertum est; Nemo enim, post audita, hostilem mutavit animum, ulciscendi cupiditatem posuit. Cùm hæc igitur usitata hucusque Orationis forma inutilis fuerit; eamdem sequi, atque imitari non lubet; ne irrita cum aliis jactem verba, & aerem, ut dicitur, verberem. Quid ergo? Celebriorum sequar Medicorum morem, qui, ubi desperata res est, aliquid ægroto indulgent nonnumquam, quod optatæ videtur in specie adversari sanitati; nec infeliciter quandoque res cadit, &c. Ulciscimini igitur, ò vos, qui tantoperè vindictam ardetis, ulciscimini; Hostes è medio tollite, &c. licet per me, quod ab aliis improbatur, &c. Sed antequam ad vindictam progrediamini, state aliquantisper, donec optimam, & perfectam ulciscendi rationem vos doceam.

Inde per Introductionem Propositionem suam explicat, & assumit probandum, meliorem, & perfectiorem ulciscendi rationem in hoc consistere, ut inimicis impendatur Dilectio Cordis, Oris verbum, & Manus beneficentia.

Exordium ab Adjunctis.

ARTICULUS VII.

ADjuncta, alia Personæ, alia Rei, ut diximus in 1. parte cap. 3. sect. 1. & ex utroque Circumstantiarum genere uberrima, ac multiplex Exordiorum seges colligi potest; quot enim Circumstantiæ, tot loci, à quibus exordiri licet.

Hoc Genus Exordii, quia videtur (1) non modò allatum, sed ex re natum, eòque minùs affectatum, quò magis ad causam affectum; magnam indicat Oratoris Vim, & præstantiam: ideò familiarissimum fuit Ciceroni, adeò ut tantùm non in omnibus suis Orationibus ab aliquo ex Adjunctis initium fecerit. Frequentia quoque in Sacris Voluminibus patent exempla; è quorum numero pauca hìc transcribere satis duximus.

A Circumstātia Personarum orsus est D. Greg. Nazian. Homil. de Amore Pauperum, dicens: *Viri fratres, & commendici (omnes enim pauperes sumus, ac Divinæ Gratiæ indigi, tametsi alius alium præcedere videatur) hunc de pauperum amore sermonem accipite, &c.*

A Loco D. Chrysostomus Hom. 3. ad Popul. Antioch. laudem Flaviani Episcopi inchoavit: *Quoties*, inquit, *ad sedem hanc derelictam, & Magistro vacuam respicio, simul & doleo, & gaudeo: Doleo, quod abesse video Patrem; Gaudeo quod pro salute vestra profectus sit, &c.*

A Tempore D. Ambros. Serm. 22. cùm ait: *Dignum, & congruum est, Fratres, ut post lætitiam Paschalem, quam in Ecclesia celebravimus, gaudia nostra cum Sanctis Martyribus conferamus, & iis annunciemus Dominicæ Resurrectionis gloriam, qui consortes sunt Dominicæ Passionis, &c.*

Ab Occasione D. Paulus, (2) cùm inquit: *Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video; præteriens enim, & videns simulacra vestra, inveni Aram, in qua Scriptum erat: Ignoto Deo; Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis, &c.*

Exor-

(1) *Palat. Reg. eloqu. exerc. 5. lect. 13.* (2) *D. Paul. Act. 17. 22.*

Exordium ex Abrupto.

ARTICULUS VIII.

EX Abrupto dicitur Exordium, quod absque ulla prævia Insinuatione, quasi quodam calore mentis excussum, Laconicè, breviterque Oratoris animum prodit.

Prudenter hujusmodi Exordium adhibendum est; non enim à quolibet Oratore, vel in quolibet Proposito, nec etiam frequentiùs usurpandum; sed parcè, opportunè, & ab eo, qui grandem ad hoc, aptumque sortitus est genium.

Pluribus modis ex Abrupto exordimur.

I. Per quamdam licentiam, seù libertatem dicendi, E.G. Veni huc hodie Divini honoris propugnator, ac defensor contrà eos, qui Christi nomen quotidie blasphemant, & os suum ponentes in Cœlum, execranda in faciem Altissimi expuūt cōvicia, vomunt hæreses, &c. Contrà hos acuam, ut gladium, linguam meam, & ignita verborum jacula immittam. Minister Christi sum; Dei honorem zelare debeo, &c.

II. Per Deprecationem, hoc est, initium ducendo à precibus, E.G. Audite, precor (Quid enim post minas, & objurgationes, ut à peccato deterreamini, aliud superest, quàm preces, & vota?) audite, inquam, dicentem hodie de supplicii acerbitate, quod pertinacibus, & duris corde comminatur Deus, &c.

III. Per Increpationem, ipsum scilicet arguendo, contra quem dicimus, v. g. Quousque tardabis converti ad Dominum, sceleſtiſſime peccator? quousque Divina Patientia abutèris? Dei ergo benignitatem in ludibrium vertens, ideò insolescis magis, quia non urgeris ad pœ-

nam? ideò aggeras culpas, quia expectat is ad veniam? Ah impie, &c.

IV. Per Expostulationem, seù Conquestionem, cùm scilicet de re, vel persona aliqua conquerimur. E. G. Sinite me hodie à querimoniis initium ducere, deque Judæorum pravitate amarulenter queri, qui corde non minùs lapideo, quàm lapidibus armati, instant fremebundi Jesum cædere, obruere, perdere. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum. Ah malesuada invidia! Mentis expers consilium! Et quid causæ est, cur in mansuetissimum Dei Filium, Regem vestrum, & Dominum, tam inhumaniter sæviatis? Adeò ne cæcutiit mens vestra, ut Prophetarum oracula obliti, promissum Gentibus Christum non agnoscatis; & quem venturum exoptastis ad vitam, præsentem requiratis ad mortem? &c.

V. Per Emphasim, quæ figura latiorem præbet intellectum, quàm verba ipsa sonant, E.G. Audi, ò quicumque per omnes iniquitatis vias laxis tuis habenis, & Deo infensus, nullo eum aut loco, aut tempore peccatis non infectaris tuis, unum dolens; quod voluntati facultas omninò haud respondeat: Aderit aliquando dies ille, quo suas ipsemet injurias Deus vindicaturus advenerit, &c.

VI. Per Commiserationem (est autem Commiseratio dolor quidam susceptus ex opinione mali alterius, quem indignum tali calamitate judicamus) E.G. Commoveri me sentio miserationis impulsu, oculique præ dolore solvuuntur in lacrimas, dum Jesum hodie laborantem, & præ lassitudine ad fontem sedere conspicio. Et quis non ingemat ad spectaculum? Virtus Dei fatigatur, Fortitudo Patris infirmatur: & per quem vigent omnia, labore fractus, languet, deficit, ac cedit, &c.

VII. De-

VII. Denique per Exclamationem, sic: O millies fortunatum diem, qui nova superni Regis Nativitate illustratus, tantùm faustioribus cæterarum Ætatum diebus non cedis, ut quàm longissimè superes! O super omnes Urbes felicem Bethleem, quæ, &c.

De Vitiis, & Virtutibus Exordii.

SECTIO III.

PRimum Exordii Vitium est, si sit vulgare, hoc est tritum, quotidianum, & populare.

Secundum, si sit commune, ità ut pluribus Orationibus aptari possit.

Tertium, Si longius sit, quàm deceat Orationis contextum; Caput enim debet Corpori proportionari.

Quartum, Si nullam, vel parvam habeat cum reliqua Oratione connexionem.

Quintum, Si à gravitate recedat, & nimis sit comptum: Exordia namque in Judiciali, & Deliberativo Genere gravia esse oportet, nec fucis, & pigmentis delibuta.

At bonum Exordium erit, si elegans sit, verbisque, & sententiis concinnum: si conveniens sit rei propositæ, & commune diversis Argumentis non sit; si moderatè longum, vel potius breve, ità ut duodecimam, vel, ut alii, nonam, aut octavam totius Orationis partem non excedat; Si verecundiam servet, & veneribus, & gratiis non luxuriet.



De

De Propositione.

CAPUT II.

NOn parco, aut insufficienti sermone Partem hanc prosecuti sumus Capite primo primæ Partis Sect 1 Ubi tùm de modo efformandi, & dividendi Thematis: tùm etiam de ejusdem Virtutibus, & Vitiis actum est: quare cùm nihil hic addendum supersit, ad ulteriora pergimus, & de Introductione sermonem instituimus.

De Introductione.

CAPUT III.

OMissis Oratorum Controversiis de Introductionis usu, quem Alii supervacaneum, Alii necessarium esse contendunt: cum his sentiam, dicamque Introductionem tùm ad constituendam, tùm ad dilucidandam Propositionem esse necessariam.

Est igitur Introductio (Ingressum Alii, Alii Isagogen, Secundarium Exordium, vel Proœmium vocant) Concionis quasi Vestibulum, & Aditus. Vel: Est Propositio, ex qua immediatè infertur, & eruitur Orationis Thema.

Duo præcipuè in Introductione servanda: primum, ut sit Proxima, hoc est à Genere proximo, & immediato desumpta, nec altiùs, & longiùs à Proposito petita. Secundum ut sit brevis; Auditorem enim ad Interiora Concionis ingredi festinantem, longiùs in ipso vestibulo detinere molestum est.

Plurimis ex locis deduci potest Introductio,

Pri-

Primus Fons est à Genere, cùm scilicet præmittitur aliqua Propositio Generica, ex qua mox ad Propositionem nostram, veluti Generalis illius Propositionis speciem, descendamus. E.G *Sit* Sermo de Jejunii observantia, Generalis Propositio erit de Mortificationis necessitate, quam ex aliquo Sacræ Scripturæ Testimonio, Sanctorum Praxi, aliisque ex locis dilatare licet; inde potest ad Jejunii Propositionem ità fieri accessus: At optimæ Mortificationis species est Jejunium, de quo, &c.

Secundus Fons à Definitione rei tractandæ. V. G. si de Peccato loquamur, ità poterit parari ingressus: Non alienum à re puto, antequam ad propositæ Veritatis assertionem deveniam, peccati naturam explicare; ut apertiùs inde liqueat, quantam Deo injuriam, sibique ignominiam inferat Peccator Est igitur peccatum, &c.

Tertius ab Enumeratione, cùm multa, ad eãdem rem pertinentia, enumerantur; mox iis rejectis, de quibus agendum non est, eliguntur, & designantur ea, de quibus tractari debet. E.G Plures, & validissimas hodie Christus in Evangelio innuit rationes, quibus ad inimicorum Dilectionem incitemur. Prima est Adoptio filiorum Dei: *Ut sitis Filii Patris vestri*. Secunda Cælestis Gloriæ Præmium, *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Tertia, &c. his autem omnibus omissis, illud unum eligam, quod præ cæteris urgere arbitror, Dei scilicet jubentis Authoritatem: *Ego autem dico vobis*. Hoc erit Scopulus, ubi omnes Mundanæ Politicæ fluctus, ac reluctantis carnis procellæ, illisæ confringentur, &c.

Quartus à Contrario, cùm Rationes, quæ Propositioni nostræ adversantur, ex ponimus, easque reiicimus. En Exemplum Facile, & jucundum est quidquid à Deo præcipitur; Divinæ siquidem le-

gis

De Propositione.

CAPUT II.

Non parco, aut insufficienti sermone Partem hanc prosecuti sumus Capite primo primæ Partis Sect 1 Ubi tùm de modo efformandi, & dividendi Thematis; tùm etiam de ejusdem Virtutibus, & Vitiis actum est: quare cùm nihil hìc addendum supersit, ad ulteriora pergimus, & de Introductione sermonem instituimus.

De Introductione.

CAPUT III.

Omissis Oratorum Controversiis de Introductionis usu, quem Alii supervacaneum, Alii necessarium esse contendunt; cum his sentiam, dicamque Introductionem tùm ad constituendam, tùm ad dilucidandam Propositionem esse necessariam.

Est igitur Introductio (Ingressum Alii, Alii Isagogen, Secundarium Exordium, vel Proæmium vocant) Concionis quasi Vestibulum, & Aditus. Vel: Est Propositio, ex qua immediatè infertur, & eruitur Orationis Thema.

Duo præcipuè in Introductione servanda; primum, ut sit Proxima, hoc est à Genere proximo, & immediato desumpta, nec altiùs, & longiùs à Proposito petita. Secundum ut sit brevis; Auditorem enim ad Interiora Concionis ingredi festinantem, longiùs in ipso vestibulo detinere molestum est.

Plurimis ex locis deduci potest Introductio,

Pri-

Primus Fons est à Genere, cùm scilicet præmittitur aliqua Propositio Generica, ex qua mox ad Propositionem nostram, veluti Generalis illius Propositionis speciem, descendamus. E.G *Sit* Sermo de Jejunii observantia, Generalis Propositio erit de Mortificationis necessitate, quam ex aliquo Sacræ Scripturæ Testimonio, Sanctorum Praxi, aliisque ex locis dilatare licet; inde potest ad Jejunii Propositionem ità fieri accessus: At optimæ Mortificationis species est Jejunium, de quo, &c.

Secundus Fons à Definitione rei tractandæ. V.G. si de Peccato loquamur, ità poterit parari ingressus: Non alienum à reputo, antequam ad propositæ Veritatis assertionem deveniam, peccati naturam explicare; ut apertiùs inde liqueat, quantam Deo injuriam, sibique ignominiam inferat Peccator Est igitur peccatum, &c.

Tertius ab Enumeratione, cùm multa, ad eãdem rem pertinentia, enumerantur; mox iis rejectis, de quibus agendum non est, eliguntur, & designantur ea, de quibus tractari debet. E.G Plures, & validissimas hodie Christus in Evangelio innuit rationes, quibus ad inimicorum Dilectionem incitemur. Prima est Adoptio filiorum Dei: *Ut sitis Filii Patris vestri*. Secunda Cælestis Gloriæ Præmium. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Tertia, &c. his autem omnibus omissis, illud unum eligam, quod præ cæteris urgere arbitror, Dei scilicet jubentis Authoritatem: *Ego autem dico vobis*. Hoc erit Scopulus, ubi omnes Mundanæ Politicæ fluctus, ac reluctantis carnis procellæ, illisæ confringentur, &c.

Quartus à Contrario, cùm Rationes, quæ Propositioni nostræ adversantur, ex onimus, easque rejicimus. En Exemplum: Facile, & jucundum est quidquid à Deo præcipitur; Divinæ siquidem le-

gis

gis jugum ſuave, & onus leve: Hinc Pſalmiſta: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, &c.* Quid ergo eſt, quod mandatum hoc de inimicorum dilectione tam amarum, & arduum videatur, ut ab ejus obſervantia aut nemo, aut pauciſſimi non refugiant? At, inquitis, idem Humanæ ſenſus Naturæ repugnat lædentibus bene velle; Ratio ipſa reclamat, & Mundana lex contradicit. Sed contrà eſt; nam, ut videbimus, & ipſamet Natura id exigit, Ratio ſuadet, & omnis lex jubet, &c.

Quintus à Conceſſione, cùm indulgemus aliquid Auditoribus; ſed hoc ipſum, quod concedimus, ad meliorem uſum revocare ſtudebimus. V.G. De Prævia præparatione ad Mortem: Humanæ Prudentiæ eſt ventura proſpicere, atque ità de futuris cogitare, ut prævio diſponat apparatu, quæ neceſſaria cenſentur fore aliquando. Arma ſibi apparat Miles Pacis tempore, ut bellum mox tuba increpante, celer exiliat ad pugnam. Ventis ex adverſo efflantibus, ratem inſtruit Nauta, ut cùm opportuna redit tempeſtas, clavum illicò torqueat ad curſum, &c. Hanc ego Providentiam haud improbo, quin potiùs commendo, &c. Unû hoc velim, ut hæc ipſamet cura in futuræ mortis præſidium adhibeatur; difficile namque eſt, ut in extremo vitæ bonam obeat mortem, qui, dum vixit, benè mori non aſſuevit, &c.

Sextus à Suppoſitione, cùm præmittimus id, quod certum eſſe ſupponitur; & quia ab ipſo Adverſario non negatur, ideò prætereundum dicimus, ne in re haùd dubia tempus inutiliter inſumatur. E. G. de Pœnitentia non procraſtinanda ità fieret Introductio: Supervacaneum reor de Pœnitentiæ neceſſitate controverſiam hìc ſtatuere; cùm nemo ex peccatoribus ſit, qui diffiteatur, hanc eſſe per peccatum lapſis ad ſalutem neceſſariam; præterquam quod teſtatam facerent

hanc

hanc veritatem Sacræ Paginæ, exempla, &c. Contentio est tantùm de Tempore; Complures enim ad mortem usque peccatorum suorum pœnitentiam distrahunt, commodum satis extremæ illius horulæ spatium judicantes, &c. Contrà ego suadere conabor, opportunum scilicet ad pœnitentiam esse tantummodò tempus præsens, &c.

Septimus à Comparatione. Sic D Gregor. Nazian. de Eleemosyna facienda sermocinaturus, Virtutum inter se comparationem instituit, hisque præfert Misericordiam.

Octavus à Simili, ut, si de quotidiana nostra pugna cum Dæmone tentatore loquendum sit, pulchrè fiet Introductio per collationem Vitæ Humanæ cum militari statu.

Nonus à Paradoxo, cùm Propositio aliqua, quæ prima facie incredibilis videtur, explicatur. E. G. si de Pace belligera in die Nativitatis Domini habeatur Sermo, ità statueris Ingressum: Paradoxa me loqui creditis, nec fieri umquam posse existimatis, ut eodem tempore & Paci serviatur, & Armis. Quid Paci cum Bello, Concordiæ cum dissidio? &c. At utrumque hodie junxit Evangelista, dicens: (1) *Facta est cum Angelo multitudo Militiæ dicentium: In Terra Pax hominibus, &c.* Quod ergo Paradoxum videtur in specie, re vera Christianissimum dogma est apud Fidelem, scientem nullam Deo cum Mundo, Carne, & Dæmone, intercedere societatem, sed hostilitatem impacabilem: ideòque ut quis pacem habeat cum Christo, oportet eodem tempore bellum gerat cum ejusdem hostibus, quod sic ostendam, &c.

Decimus ab aliqua insigni Quæstione. Sic de Virtutum Incremento ex frequenti Eucharistiæ pabulo dicturus, præfari poteris à pia illa inter

S.S.P P.

(1) *Luc.* 11, 13.

S.S P.P. Controversia, an scilicet præstet, Reverentiæ gratia, ab Eucharistica Mensa multoties abstinere, quàm Devotionis impulsu ad eam sæpiùs accedere.

Undecimus à Lege aliqua, vel Consuetudine, E.G. Si Sermo sit de Bono Exemplo, quod Majores præstare debent Minoribus; inchoabis ab eo Romanorum Instituto, quo Majores natu ad tibias in conviviis Superiorum gesta, carmine comprehensa, pangebant, ut ad ea imitanda Juvenes excitarentur.

Duodecimus ab aliqua Philosophorum Sententia, qualis illa Stoicorum: Divites sunt qui Cœlo, & Terra frui possunt, per quam optimè pararetur ingressus ad Eleemosynæ fructus ostendendos, qui sunt: Cælestium Bonorum adeptio, & terrenarum divitiarum amplificatio.

Decimustertius Fons ab Expositione Evangelii, vel ab aliqua Evangelii parte, quæ ad aliam nobis aditum pandat; vel à ratione, cur tale Evangelium hujusmodi festo assig netur; Vel à causa, cur aliquod festum celebretur; vel ab aliqua Mysterii circumstantia, &c.

Et ne morosus fiam prolixitate, mitto alios introductionis fontes, qui penè innumeri sunt; satis enim habet ex his paucis præmissis Methodum, quam servare debeat in hac parte Ingeniosus Tyro.

Unum hoc caveat, ne ab eodem fonte Introductionem ducat, à quo & Exordium; molestum siquidem foret à Contrario, v.g. Exorsum, à Contrario simul ingressum statuere; vel à Simili Præfatum, à Simili quoque Isagogen parare.



De

De Narratione.

CAPUT IV.

NArratio, quam secundam Orationis partem assignant Rhetores, in Oratione Sacra, ut diximus, locum non habet: ea enim tota est Generis Judicialis, ubi post Exordium res statim narrari incipit, ut ex illa status Quæstionis aperiatur. Ejus igitur loco substituta est Introductio. Verùm quia ex Quintiliano aliud est Expositio rei, sivè causæ, aliud eorum, quæ pertinent ad causam; in hoc posteriori sensu Narratio etiam competit Oratori Sacro. Sæpè namq; accidit, ut in Propositionis confirmationem Historias, Facta, Exempla, Parabolas, &c. pluribus Concionis in locis assumat narranda; sæpè etiam contingit, ut Evangelium expendendum aggrediatur, vel Mysterium aliquod explicandum; idcircò de Narratione hìc agere non incongruum, aut inutile judicavimus.

Narratio, ex Cicerone, est Expositio rei gestæ, vel tamquam gestæ: in qua definitione tùm Historia, tùm Fabula comprehenditur.

Quatuor exposcit Narratio, ut suis plenè numeris gaudeat:

Brevitatem, Perspicuitatem, Probabilitatem, Suavitatem.

1 Breviter narrabis, si inde narrare incipias, unde necessũ est; atque ibi desinas, ubi res postulat; nec ab Ovo, ut ajunt, usque ad Mala rem prosequaris.

Si superflua, & ad rem minùs pertinentia, resecabis; ità tamen ut, quæ ad rei intelligentiam necessaria sunt, non sileas; ne, dum brevis esse laboras, obscurus fias; ideò, ut Fabius monet,

(1) *Satiùs est aliquid Narrationi superesse, quàm deesse.*

Si longas Periodos effugies.

Si idem bis, aut sæpiùs non dicatur.

2 Perspicua erit Narratio, si distinctè, & ordinatè nō promiscuè, & perturbatè res explicetur.

Si verba propria, usitata, apta, & necessaria adhibeantur.

Si Verborum, & Sententiarum ambiguitas caveatur.

Si Parenthes es crebræ, & longæ digressiones omittantur.

3 Probabilitas Narrationis in hoc sita est, ut Circumstantiæ congruentes apponantur, tùm Personæ, quales sunt Nomen, Natura, Studium, Consilia, &c. tùm Rei, utpotè locus, tempus, causa, modus, &c. Insuper cum hominum opinione, legibus, Religione, consuetudine, narranda consentiant, & testimoniis breviter adductis roborentur. Verba etiam ipsa, dum narramus, gravitate, & pondere non careant.

4 Suavitas tandem habebitur, si elegans, & jucūnda Verborum structura in dicendo servetur.

Si non eodem semper tenore discurrat Narratio, sed modò breviori stylo, modò prolixiori.

Si Figuris idoneis illustretur; & præterea ex Cicerone.

Si Admirationem pariat, quod fiet, si magna, aut nova, & inaudita dicamus;

Si Expectationes concitentur, cùm scilicet in dubitationem Auditores adduxerimus, quò res sit evasura.

Si Exitus inopinati efferantur, hoc est Fortunæ mutationes insperatæ, Commoda, vel Incommoda non expectata.

Si

---

(1) *Fab. lib. 4. cap. 2.*

Si Colloquia Personarum, & varii animi motus intermisceantur.

Figuræ Narrationi aptiores sunt: Hypotiposis, Suspensio, Exclamatio, Admiratio, Communicatio, de quibus infrà in tertia Parte.

De Confirmatione.

CAPUT V.

Confirmatio est Cor, Anima, & Princeps Pars Orationis. In ea afferuntur argumenta, quibus propositum Thema probamus, & contrarias rationes infringimus. Unde verò eruantur Argumenta ad Propositi probationem, copiosè dictum est in prima Parte cap. 4. Superest nunc ut aliqua, ad Confirmationem necessaria adnotemus.

Primò igitur curandum, ut Argumenta benè Propositionem probent.

Secundò, ut quæ majoris sunt nervi, & roboris, in principio, & fine Confirmationis locentur; infirmiora verò constituantur in medio; quæ lex servanda est præcipuè, cùm id, quod suadetur, laborem patitur ex malè affectis Auditorum animis, ut si de Eleemosyna apud Avaros differatur.

Tertiò possumus & à debilioribus ad firmiora procedere, ut fecit non semel Cicero. Numquam verò à potentissimis ad levissima descendendum; ità enim decresceret Oratio: vide sis Quintilianum. (1)

Quartò, ut Argumenta non eodem modo semper, & forma tractentur; sed modò in Syllogismum, modò in Enthymema, modò in aliquam

(1) *Quintil. Inst. Orat. lib. 5. cap. 12.*

aliam Argumentationis formam disponantur, quod aliàs docuimus, cùm de usu, & varietate Argumentationis actum est.

Quintò, Etsi vix possit de Argumentationum formis inter se ordinandis certi aliquid statui, tamen (1) *Syllogismus videtur convenientior initiis, & Partium capitibus: Enthymema, Dilemma, & Sorites incalescentem Orationem sapiunt: Inductio verò & Exemplum, Probationis, & Explicationis rationem præ se ferunt.*

Sextò, denique, ut cùm ab uno argumento ad aliud venitur, aliqua Transitione una res cum alia connectatur.

De Transitione.

CAPUT VI.

Transitio est ea Orationis forma, qua Orator ab uno ad aliud cum Ordinis gravitate progreditur.

Transitionibus copulantur non modò Argumenta, verùm & Partes Orationis.

Multiformiter de uno Argumento ad aliud transitur.

Primò per has, aut similes particulas: Deinde, Postea, Ulteriùs, Item, Addo, Addam, &c. quæ transitionis forma sufficiens quidem, sed minùs elegans est.

Secundò per hæc, aut similia verba: Primam rationem exposui, accipite secundam, &c. Ratione hucusque certavi, veniamus ad exemplum, &c.

Ter-

(1) *P. Amad. Baioc. lib. 3. cap. 5. art. 1, sect. 2.*

Tertiò, per modum Amplificationis. E.G. Parum eſt, quod dixi, majora nunc audite, &c. Vide tamen ut re vera majora ſint, quæ dixeris; aliter in deriſum abieris.

Quartò per Repetitionem, cùm eadem in calce argumenti appoſita verba repetuntur, E. G. Cùm neceſſarium adeò ſit Jejunium, nonnne libenti animo obſervandum? Obſervandum profectò, quia, &c.

Quintò per Interrogationem, ut ſi poſt allatum Prophetæ alicujus teſtimonium, dicas: *Non* times ad Vatis Oraculum? At expaveſce ad mortui ſpectaculum, & tranſitum facies ad aliquod Exemplum.

Sextò per Conceſſionem. E. G. Eſto nullam habeant vim ad propulſandam tuam duritiem huc uſque dicta; attende, quæſo, & pondera quæ dicturus ſum modò.

*S*eptimò per Prætetitionem. E. G. Mitto plura, quæ in hujus veritatis teſtimonium adducere poſſem, atque id unum adiiciam, &c. Ne Pietati veſtræ videar diffidere, alia libens Argumenta prætereo, & venio ad id, quod vel Barbaros ipſos movere ſat eſt, &c.

Et ne longiùs vager, vix aliqua eſt Figura, per quam non poſſit ab uno ad aliud Argumentum tranſitus fieri.

Optima tamen Tranſitionis Regula hæc eſt, ut in fine præcedentis Argumenti ponatur aliquis ſenſus hujuſmodi, qui connexionem aliquam habeat cum iis, quæ ſubſequenter dicturi ſumus.

Ab Introductione ad Diviſionem his, aut conſimilibus formulis tranſgredi licebit: E. G. Ne illimitata vagetur Oratio, ad tria puncta, veluti limites, eam contraho. Vel: Ut commodiùs rei veritas percipiatur, per partes eam ponderabi-

mus. Vel: Ut Ordine procedamus, in sua puncta rem distribuimus. Vel: Ut cæteras Inferni pœnas, quæ innumeræ sunt, prætaream, duas tantùm attingam, Vilitatem loci, Angustiam situs, &c.

De Puncto ad Punctum, præter eas, quæ in Transitu de Argumento ad aliud recensitæ sunt, accipe has reliquas transeundi formas: De priori Veritate plus satis, ad alteram nunc accedamus. Vel: Nec solum ad offensæ remissionem cogimur Præcepto, verùm & allicimur præmio: hoc restat ponderandum in secundo Puncto. Vel: Parum juvaret de Pœnitentia agenda habere Præceptum, nisi haberetur & modus: hunc assumo demonstrandum in secunda Parte. Vel: Patuit hucusque peccati gravitas ex peccantis malitia; sed ea, quæ ex peccandi licentia resultat, adhuc non patuit: hanc ostendet secunda Pars, quam aggredior.

A Confirmatione ad Confutationem ità fieret Transitio. V.G. Hæc ad propositæ Veritatis assertionem: audite nunc quid obiiciant Adversarii, & quid ego respondeam. Vel: Ad hæc obiiciet fortasse aliquis. Vel: Audire mihi videor, nescio, quem mussitantem, atque ità obiicientem. Vel: Prosiliat nunc aliquis, & contrà hanc veritatem reclamet: Ejus vires argumenti non eludere modò, sed elidere conabor. Vel: Video quid à præfatæ Virtutis amplexu vos detineat; sed facile est obstaculum removere. Vel: Ne quis de asserta Veritate dubitandi maneat locus, contrariis Obiectionibus occurram.

Hæc de Transitione, ad Novitiorum institutionem. Cæterùm aliæ innumeræ transeundi formæ plùs pendent ab usu, & ingenio, quàm ut præceptis addisci possint.

De

De Digressione.

CAPUT VII.

Digredi etiam quandoque opus est. Digressiones enim & Orationem ornant, & somnum, si fortè in Auditorum animos irrepserit, statim discutiunt.

Est autem Digressio (1) Alienæ rei, sed ad utilitatem causæ pertinentis, extrà ordinem excurrens tractatio. Ex quo liquet Digressiones nihil ad rem facientes, omninò cavendas esse.

Duo in Digressionibus adhibenda, Judicium scilicet, & Modus.

Judicium, ne intempestìvè fiant; nam, ut docemur à gravissimo Authore, (2) tunc Digressio conducit, si se quasi spontè obtulerit, non vi intulerit.

Modus, ne prolixa nimis sit digressio, præcipuè initio, & fine Orationis; nè longiùs à Proposito dilapsi, videamur Propositi esse obliti, & facilè non appareat, quomodò possimus ad Institutum redire. Oportet ergo, (3) antequam digredi incipiat Orator, de reditu cogitare; ne serò pæniteat, quod à Proposito excesserit.

Ad Digressionem pertinent rerum gestarum expositiones, descriptiones Locorum, Temporum, Personarum, Morum, &c.

Non invenustæ ad Propositum redeundi formulæ esse possunt: E.G. Sed ad Scopum, unde non nihil digressa est Oratio, regrediamur, &c. Sed illuc revertar, unde discessi, &c. Sed jam tandem in gradum redeamus, extrà lineas, oleasque aliquantulum exspatiati, &c. Nunc ad ordinem venio, &c.

De

(1) *Quintil. lib. 4. cap. 3.* (2) *Voss. Tom. 2. lib. 5. cap. 6.* (3) *Idem ibidem.*

De Descriptione.

CAPUT VIII.

DEscriptio est perspicua, & dilucida rerum cum gravitate Expositio.

Variæ sunt Descriptionis species pro varietate rerum, quæ describi possunt.

Vel enim describitur Persona aliqua, & dicitur PROSOPOGRAPHIA;

Vel Locus, & vocatur TOPOGRAPHIA;

Vel Tempus, & appellatur CHRONOGRAPHIA;

Vel denique Res ipsæ, seù facta repræsentantur, & nuncupatur HYPOTIPOSIS, de qua infrà in tertia Parte.

PROSOPOGRAPHIA, seù Personæ Descriptio fit, cùm Hominis mores, habitus, lineamenta, & cæteræ circumstantiæ, quas Personis attributas diximus, verbis quasi coloribus, depinguntur. Seneca (1) sic hominem describit: *Quid est Homo? Imbecillum corpus, & fragile, nudum, suapte natura inerme, alienæ opis indigens, ad omne fortunæ contumeliam proiectum: cùm benè lacertos exercuit, cuiuslibet feræ pabulum, cuiuslibet victima: ex infirmis, fluidisque contextum, & lineamentis exterioribus nitidum, frigoris, æstus, laboris impatiens, ipso rursum situ, & otio iturum in tabem: alimenta metuens sua, quorum modò copia, modò inopia rumpitur: anxiæ, solicitæque tutelæ, precarii spiritus, & malè cohærentis: Soli semper nutrimentum vitiosum, & inutile, &c.*

D. Hieronymus fictam Humilitatem depingit (2) his verbis: *Perfacile est aliquem habere vestem*

(1) *Apud Caussin. lib. 11. descript. 1.* (2) *Apud Granat. de ratione Concion. lib. 3. cap. 7.*

Item contemptam, salutare submissiùs, manus, & genua deosculari, inclinato in terram capite, oculisque dejectis, humilitatem, & mansuetudinem polliceri, lenta voce, tenuique, sermones infringere, suspirare crebriùs, & ad omne verbum peccatorem, ac miserum se clamare; sed &c.

TOPOGRAPHIA, seù Loci Descriptio, desumitur ab his præcipuè capitibus, nempè ab Antiquitate, Origine, & Fundatore, à Situ, à Cœli temperamento, ab Agrorum fertilitate, à Fontiũ copia, ab Hortis, Fluviis, & Montibus, ab Ædificiis, Templis, Theatris, Gymnasiis, Foro, Portu, &c. à Statuis, Picturis, aliisque ornamentis, ac monumentis, &c. Idem D. Hieronymus S. Antonii habitationem ità describit: (1) *Saxeus, & sublimis mons, per mille circiter passus ad radices suas aquas exprimit, quarum alias arena ebibunt, alia ad inferiora delapsa, paulatim rivum efficiunt; suprà quem ex utràque ripa palma innumerabiles multum loco & amenitatis, & commodi tribuunt. Hic psallere, hìc orare, hìc operari, hìc fessus residere solitus erat. Vites, & arbusculos plantavit: Areolam manibus suis ipse composuit: Piscinam ad irrigandum Hortulum multo sudore fabricatus est. Erat autem cellula non plus mensura per quadrum tenens, quàm Homo dormiens extendi poterat. Prætereà in sublimi Montis vertice, quasi per cochleam ascendentibus, arduo valdè nisu, duæ ejusdem mensuræ cellulæ visebantur, in quibus, venientium frequentiam, & discipulorum suorum contuberniũ fugiens, moratus est. Verùm, &c.*

CHRONOGRAPHIA, seù Tẽporis Descriptio, ea est, quâ subiiciuntur, quæ in tempore dicuntur, aut accidunt. Hyemem Theophilactus (2) describit hoc modò: *Præteriit Autumnus, & jam Hyems*

(1) *Hieron. in D. Hilarionis vita.* (2) *Theophilact. apud Caussin. lib. 11. descript.* 87.

Hyems Terræ ingruit. Mare tranquillitatis fœdera rupit: Navigantes Portus quasi sospitatores amplectuntur, & Rusticus ad focum confugit, & formica in cavernis terræ suis laboribus parto victu fruitur.

De Confutatione.

CAPUT IX.

Confutatio Confirmationis Pars, vel Species, tùm Confirmationem, tùm cæteras Orationis partes ingreditur; penè semper tamen suum post Confirmationem locum habet. Ea verò est, qua obiecta, vel obiicienda reiicimus.

Duabus de causis ad Orationem Sacram potest pertinere, Vel cùm in aliqua Sacra Doctrina Hæreticorum errores confutantur; vel cùm id suademus, à quo nonnullæ apparentes rationes contrariæ, Auditorum animos avertere possunt.

Varios confutandi modos habemus.

I. Cùm quid ut falsum, reiicimus. V.G. Si obiectum fuerit; indecorum esse injuriam lædentibus remittere; confutabimus ità: Quid hoc falsius auditum est usquam? Toto Christus suæ vitæ cursu numquam indecorum quid egit, & tamen Crucifixoribus pepercit suis; quî nam igitur injurias condonare, indecorum erit?

II. Si repugnare vitæ moribus, aut Religioni, quam profitemur, ostendimus; & hoc modo injuriarum ultio repugnat Christianæ charitati, & Professioni Fidei, qua censemur.

III. Si rationes allatas in Adversarium ipsū retorquemus: ut si ultor asserat honestam esse vindictam, quod Mundana lex hanc jubeat; probandum erit ex eodem capite criminosam esse,

& in-

& indecoram. quia scilicet diabolus legem illam dictaverit, ideòque summam parit infamiam.

IV. Per Antisagogen, seù Compensationem, cùm afferimus rem, vel parem, vel maiorem. E.G. Non parcam, inquies, quia magna fuit mihi illata iniuria. At nec ego parcam, inquiet Christus, quia magnam ex ultione passus sum contumeliam. Vel &c: Verum est, quod ais, difficile esse injurias remittere; At respondebo, maxima tibi parari præmia.

V. Per Contemptum. E G. Hæc sunt, quæ ad sui excusationem obiiciet Peccator; sed cùm sint satis frivola, & inani fundamento subnixa, in his enodandis non immoror, &c.

Ut vivacior, & ferventior sit Confutatio, tractari debet per figuras acriores, quæ sunt Interrogatio, Subiectio, Increpatio, seù Execratio, &c.

De Peroratione.

CAPUT X.

PEroratio, extremus Oratoris actus, definitur à Cornificio (1) Artificiosus Orationis terminus. Dicitur Conclusio, quia Orationem claudit: appellatur etiam Epilogus, quia paucioribus verbis stringit ea, quæ antea pluribus sunt dicta.

Tres habet Partes Peroratio: Enumerationem, Amplificationem, & Affectuum commotionem, quæ per Amplificationem habetur, & (2) in ipsa Amplificatione includitur.

Enu-

(1) *Cornif. lib. 1, num. 4.* (2) *Radau. p. 1. cap 2, qu. 12.*

Enumeratio, quam & Epilogum, & Recapitulationem vocant, ea est, in qua res per totam Orationem dispersæ, & diffusè dictæ, strictim, & compendiariò colliguntur, atque unum sub aspectum subiiciuntur.

Advertendum tamen, quòd non omnia per totam Concionem dispersa, singulatim, & longo ordine repetenda sunt; ità enim, ut ait Fabius (1) *Non jam Enumeratio, sed altera quasi fiet Oratio*; Aft illa dumtaxat, quæ ad causam magis faciunt, quæque Audientium Animis, & memoria altiùs infigi volumus; Necnon summatim, & breviter, ne Auditorem jam fortè defatigatum, & longiora metuentem, fastidio afficiant. Præterea (1) *Quæ Enumeranda videtur, cũ pondere aliquo dicenda sunt, & aptis excitanda sententiis, & Figuris utique varianda; alioquin nihil illa recta repetitione odiosius, veluti memoriæ Auditorum diffidentis.*

An verò necessaria semper sit Enumeratio, licet alii affirment, his præsertim rationibus adducti, quod per hanc revocantur in Auditoris memoriam, quæ ab ea forsitan exciderunt; tùm quia repetita, & conglobata argumenta validiùs urgent, & velut Agmine facto in Audientium animos irrumpunt, & quod volumus apud illos efficiunt; Alii tamen aliter sentiunt, docentque Enumerationem usitatissimam tantùm in Juridiciali, rarò autem in Deliberativo, rariùs in Demonstrativo adhiberi. Hac doctrina instructus Ecclesiasta prudens esto in hac parte, ut scilicet nec frequentiùs Enumerationem adhibeat, nec semper omittat. Omitti quidem potest, cùm vel brevior fuerit Oratio, vel Argumentorum, & Conceptuum penuria laboraverit. Similiter in cau-

(1) *Fab. lib. 6. cap. 1.*

causis acrioribus, V.G. cum agitur de Severitate Judicii, Gehennæ atrocitate, &c. Ubi concussos jam, & commotos animos per Enumerationem distrahere, ac refrigerare non decet. Idem dic, cùm in fine Orationis adducitur aliquod Exemplum ad terrorem, aliumvè acriorem motum excitandum. Uti autem possumus Enumeratione, cùm vel debilem Audientium memoriam, vel longiori sermone gravatam novimus. In iis autem concionibus, quæ doctrinales sunt, & in Genere Didascalico versantur, numquam hujusmodi Recapitulatio censetur omittenda.

Sciendum denique quod licet Enumeratio præcedere, aut subsequi possit Amplificationem; aptiùs tamen, & utiliùs à Granatensi existimatur, si ante Amplificationem fiat.

Alia Perorationis pars est Amplificatio, qua dicta, aut dicenda exaggerantur, & Orationis aciem stringit Orator adversùs eam morum depravationem, qua Auditores inquinantur, eos Affectus excitare nitens, quos Argumenti, & Materiæ ratio, quam præcipuè in Concione tractavit, expostulat. Hæc Amplificatio vehementior esse debet hoc loco, quàm aliàs; ex hac enim, veluti strue lignorum compacta, Affectuum flamma consurgit, quæ tantò erit ardentior, quantò fuerit illa concitatior. In hac, ait Divus Augustinus, Obsecrationes, Increpationes, Concitationes, Coercitiones, & quæcumque alia, quæ valent ad commovendos animos, sunt necessaria. Meminerit Orator, hìc sitam esse suam victoriam, si ità dicat, ut flectat; si ità flectat, ut ad agendum moveat, & impellat. Quæ verò capita adhibenda sint ad ciendos affectus, jam diximus in prima Parte cap. 8. sect. 2.


In excitandis Affectibus duo Tyronem commonendum puto. 1. Affectus non excitantur clamoribus; sed rationibus. 2. Affectum, præcipuè doloris, ubi acriter commovisse iam senseris, relinque, nec lōgiùs instes; ne defatigatus Auditor, ab illo, quem cœperat, impetu, deficiat, & tædio affectus tepescat, ac frigeat. Nihil, ut inquit Cicero, (1) faciliùs, quàm lacrima, inarescit.

Si per Apostrophen, h.e. per Conversionem ad Deum, Vel ad Jesu Christi effigiem, Vel ad B. Virginem, Aut alium quemvis ad Sanctum, claudatur Oratio: (qui modus non improbatur) quatuor servanda sunt. 1. Ut talis Conversio crebrò non fiat. 2. Ut in illis Concionibus tantùm fiat, quæ ad commovendos Affectus ordinatæ sunt; In iis enim, quæ ad Didascalicum Genus pertinent, Apostrophe in fine haud probatur. 3. Ut non, nisi post aliquam Affectuum motionem, Conversio adhibeatur. 4. ut sit brevis: Auditori namque defatigato, & dicendi finem expectanti nil molestius, quàm prolixitas.



(1) *Cic. in partit. & Invent.* 1.

De



De Elocutione.

PARS TERTIA.

UT Cæteris potior, ità difficilior hæc una Pars est (id quod omnes benedicendi Præceptores ad unum sentiunt) Elocutio, namque Oratorem facit, & ex ipsa Orator dignoscitur. Tullius Inventionem, & Dispositionem putat esse hominis prudentis; Quodlibet enim solertia, & Judicio præditum Ingenium, invenire poterit, quæ dicat, & inventa ordinatim disponere; Ast eleganter, & ornatè dicere non nisi Eloquentissimus Orator potest. Habes igitur quantum negotii sit in hac re, & quàm vix reperiatur (si modò reperiatur) qui verè eloquens sit. Præmonere hoc volui Candidatos meos, ut intelligant non, nisi multo labore, Industria, & Exercitio profici aliquid posse in hac Parte.

Et quia veram, & consonam Christianæ Orationi Elocutionem complures aut inscitia negligunt, aut imprudentia corrumpunt, non sine maxima Evangelii injuria, suique, Animarumque detrimento; ideò lubet in ipso Elocutionis vestibulo errores aliquos detegere, quò caveri possint à Tyronibus nostris.

Sunt itaque Nonnulli, qui humili, & insulsa quotidiani sermonis simplicitate gaudentes: om-

mni prorsus ornamento Orationem suam expoliatam volunt. Dicas cum Causino, Sanctè hos jurasse, ne Metaphoram quidem ullam se in scriptis usurpaturos. Hi profectò nec Artis vim norunt, nec quæ deceat Orationem elegantia, sciunt. Lectitent Sacra Volumina, ubi nullum exquisitissimæ Elocutionis genus non elucere, comperient.

Ast Alii, ut eloquentes se se jactitent, Eloquentiæ Majestatem dedecorant; siquidem flosculis, & Oratoriis coloribus supra modum lasciviunt; totamq. dictionem suam importunis metaphoris, luxuriantibus figuris, affectatis rerum descriptionibus, digressionibus ineptis, fucis, & pigmentis ità infarciunt; ut phalerata undique, & picturata appareat. Hi, ut ait ille, Ecclesias ipsas in Scenam, & Conciones in Theatrales ludos vertunt. At, inquies, Oratoris est ornatè dicere. Quis hoc neget? Non ità tamen, ut gravis Matronæ ornamentum in putidissimum Meretricis luxum abeat. Scitu dignum est illud Causini: *Pugnare debet Ecclesiasta, non ludere.*

Quid verò de iis, qui ad fabulas sæpè convertuntur, seria ludicris, vera falsis, Sacra profanis confundentes; quodque detestabilius, in eam forrasse Concionis partem fabulas inducunt, ubi affectus sunt concitandi? Hos apertè arguit Apostolus, utpotè iniquos Veritatis homicidas, & meretricios, ut quidam vocat, aurium mangones; qui non corda movere, sed aures allicere, non Jesu Christi Evangelium, sed Ovidianam Metamorphosim prædicare contendunt. Benè de his David: (1) *Narraverunt mihi iniqui fabulationes; sed non ut lex tua.*

Ultimus error (nam cæteros referre hìc piget, ni-

(1) *Psalm.* 118.

nisi jam pudeat)est eorum, qui communem, & perspicuum loquendi morem dedignantes, longo, & confuso verborum contextu sensum perturbant: dilatis præter justam mensuram Conclusionibus, crebra, & longa Interiectione, seù Parenthesi, intellectum impediunt: obscuris aliquot, & tortis sententiis, inusitatis translationibus, abditis, atque difficilibus Philosophiæ, ac Theologiæ quæstionibus Orationem implicant: tantùmque abest, ut huius obscuritatis vitii eos pœniteat; ut pulchrum existiment ab omnibus non intelligi. Quo quid insulsius? Si percipi non vis, cur loqueris? Et si Oratoris finis est Animos, ad quod velit impellere; quomodò Auditorem impuleris, à quo non intelligeris?

Hæc de vitiosa quorumdam Elocutione: modò ad rectæ ipsius Elocutionis essentiam, & partes discutiendas gradum facimus.

Elocutio quid sit, & quot Partibus constet.

CAPUT UNICUM.

Elocutio, quæ Eloquentiæ Pars est, idonea verba, & sententias ad res inventas, & dispositas accommodat.

Tribus ex Cicerone (1) constat Elocutio, Elegantia scilicet, Compositione, & Dignitate.

(1) *Cic. 4. ad Herenn. c. 2.*

De Elegantia prima Parte Elocutionis.


SECTIO I.

Elegantia est, quæ facit, ut purè, & perspicuè dicamus.

Puritas in hoc sita est, ut propriis, lectisque genuinæ linguæ verbis, phrasibus, & locutionibus in dicendo utamur; nec solùm Grammaticæ leges, & præcepta, verùm & probatissimorum Authorum auctoritatem, & consuetudinem servemus.

Puro igitur, castoque sermoni adversantur Verba Peregrina; iis tantùm exceptis, quæ longo usu pro patriis habentur, ut sunt Musa, Doctrina, &c. Vel Scientiarum servitio sunt destinata, ut Syllogismus, Sacramenta, Gratia, &c. quæ rejicienda non sunt. Voces etiam vulgares, utpotè sordidæ, verba Poetica, affectata, obsoleta, antiquata, & nova, præter Puritatem, Perspicuitatem lædunt.

Perspicuitas obtinetur, si verbis usitatis, & propriè significantibus loquamur; Si nec nimis prolixa, & continuata verborum serie, nec tamen concisè nimis; Si rectum ordinem, & distinctionem servabimus; Si Æquivoca, Amphibologica, Hyperbata, duras Translationes, & longas Parentheses vitemus.



De

De Compositione secunda Parte Elocutionis.

SECTIO II.

Compositio est structura Partium Orationis, seu: Verborum inter se Connexio.

Ad Compositionem pertinent JUNCTURA, ORDO, PERIODUS, & NUMERUS.

JUNCTURA facit, ut ex molli Elementorum Syllabarum,& Vocum connexione, lenis,suavis, plena,& sonora fluat Oratio.

In Hac ergo vitandæ sunt asperiorum consonantium commissuræ, ut Ars Studiorum, Exercitus Xersis. Frequentiores vocalium concursus, quæ hiulcam Orationem faciunt, ut: *Rem anxiè quærere,atque adepta egere, animi avari est*. Præterea multæ longæ dictiones, quæ tarditatem nimiam pariunt, aut brevia multa vocabula, quæ minutam,& concisam locutionem reddunt, non sunt continuanda; sed brevia longis, aspera lenibus,vocales consonantibus commisceri oportet. Illud postremò cavendum,ne eadem syllaba præcedentem dictionem finiat, & inchoet sequentem,ut:Spuma Maris, Aliquæ querelæ, &c. In his omnibus neque negligentem, neque diligentem nimis esse decet Ecclesiastam.

ORDO postulat, ut crescat Oratio, non decrescat;ideòque graviora semper humilioribus subiicienda sunt. Quæ lex tenenda est in Amplificationibus; nam in extenuationibus oppositum servari debet; in his enim excrescere, non insurgere debet Oratio. Jubet quoque Ordo, ut quæ dignitate præstantiora sunt,vel natura priora, indignioribus,& natura posterioribus præcedant, ut

Dies

Dies Nocti, Oriens Occidenti &c.

Periodus Sententiam Commatis, & Colis, h.e. Incisis, & Membris justè perficit. De Periodo fusè alii, nos pauca, quantum ab instituto nostro alienum non est. 1. Periodus longior non sit, quàm vires, & spiritus ferat, sed nec brevior, quàm aures expectant. 2. Plures ejusdem rationis, & mensuræ Periodi non continuentur: affectata siquidem fiet oratio, & fastidium pariet similitudo; sed varietati studendum est, ut modò simplices sint Periodi, modò bimembres, modò trimembres, modò quadrimembres.

Simplex Periodus est (1) cùm sensus unus longiore ambitu circumducitur. Sic D. Paul. initio Epist. ad Tit. *Paulus servus Dei, Apostolus autem Jesu Christi secundum fidem Electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ secundùm pietatem est in spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus ante tempora sæcularia, manifestavit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundùm præceptum Salvatoris nostri Dei, Tito dilecto filio secundum communem fidem, gratia, & pax à Deo Patre, & Christo Jesu Salvatore nostro.*

Periodus bimembris ea vocatur, quæ duobus membris perficitur; hujusmodi est illa: *Si ferias, clamamus, ut parcas: Si peperceris, iterum provocamus, ut ferias.*

Trimembris est, quæ tria habet membra, ut est illa D. Ambrosii (2) *Si Dominus vilibus avibus, & infidelibus hominibus, vel in oriundo Sole, vel in terrena fœcunditate prospexit; Si misericordia suæ omnibus munus impertit; haud est dubitandum contemplationem apud illum fidelium valituram esse meritorum.* Qua-

(1) Fabius lib. 9. cap. 4. (2) D. Ambros. in luc. lib. 7. cap. 12.

Quadrimembris tandem illa dicitur, quæ quatuor constat ex membris. Et hic Numerus videtur esse medius, licet plura, quàm quatuor, sæpè jam Periodus recipiat. Exempli loco sit: Si quæ pro corpore, ac fluxis Terræ divitiis cura impenditur; eadem pro Anima, solidisque Cœli Thesauris adhiberetur; non ità macresceret in paupertate spiritus, ut ex opulentia miserè pinguescit caro.

Quadrimembris, seu quadrata Periodus maximè decet Exordium, graves quasque alias Orationis partes: Cæteræ Periodorum species, incalescente Oratione, commisceantur.

NUMERUS Oratorius (1) *Est conveniens sententiæ sonus, ex compositione, ac dispositione partium nascens.* Rhythmus quidam dicitur ab aliis, ità dissimulatus, & latens, ut tamen sentiatur. Alii Humani sermonis modulationem vocant. De hoc Numero multa satis Rhetores, docentes, qui pedes in membrorum initiis, qui nam in Periodorum clausulis, quivè in medio locari debeant, ut Numerosa fiat Oratio; Quos quidem non contemnendos ostendit D. August. cùm ait: *Ego in meo Eloquio, quantum modestè fieri arbitror, non prætermitto istos numeros clausularum.* Verùm non multum in hac re laborandum, ut in dimetiendis syllabis tempus omne teratur; nec immodicè studiosum Numerorum esse decet Ecclesiastam, ne, ut idem August. ait, *Divinis, gravibusque sententiis, dum additur Numerus, pondus detrahatur.*

Satis est autem, si moderatè huic rei intentus sit, curetque præcipuè, ut Periodus à versu (præsertim Heroico, Pentametro, aut Asclepiadeo), vel Hemistichio non incipiat, nec in versum, aut partem eius desinat. Similiter ut nec per idem

(1) *Voss. lib. 4. cap. 4.*

idem sæpiùs ducat, claudatque sententiam: nihil enim in hac arte vitiosius: & præterea ut neque Monosyllaba sæpiùs, neque productiora verba sententiam terminent. Cætera pendebunt ex Aurium judicio, quæ longo usu, & observatione, optimæ in hac re fient Magistræ.

De Dignitate tertia Parte Elocutionis.

SECTIO III.

DIgnitas Elocutionis consurgit ex Tropis, Figuris, & Aptè dicendo, de quibus singulis ordinatim agemus.

De Tropis. Quid, & Quotuplex sit Tropus.

ARTICULUS I.

TRopus, Græca vox, Latinè Conversio, seù Trãslatio, *Est Verbi, vel Sermonis à propria significatione in aliam cum virtute mutatio*, ità Fabius. (1)

Primarii, & principes Tropi sunt (2) quatuor: METAPHORA, METONYMIA, SYNECDOCHE, & IRONIA.

METAPHORA, qua nec frequentior alius Tropus, nec florentior, est, *quando Nomen, aut Verbum, propter similitudinem, transfertur ex eo loco, in quo proprium est, in eum, in quo aut proprium deest, aut translatum proprio melius est*.

Qua-

(1) *Fab. lib. 8. cap. 6.* (2) *Voss. lib. 4. cap. 5.*

Quatuor modis fit Metaphora.

I. Transferendo ab Animato ad Animatum, ut est illud Psalmi 2. *Quare fremuerunt Gentes?*

II. Ab Inanimato ad Inanimatum, ut Zach. 11. 1. *Aperi, Libane, portas tuas*, & Psalm. 8. *Qui perambulant semitas Maris.*

III. Ab Animato ad Inanimatum, ut Psalm. 97. *Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt*. Et Luc. 19. 40. *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.*

IV. Ab Inanimato ad Animatum, ut scrupulosus homo, & illud Ezechiel. 36. 26. *Auferam à vobis cor lapideum.*

Triplici de causa adhibentur Metaphoræ 1. Ob necessitatem, cùm scilicet proprium deest, aut translatum est significantius. 2. Propter Orationis ornamentum, & elegantiam; comptiùs enim, & venustiùs dicas florem ætatis, quàm ætatis integritatem. 3. Ob Delectationem; magis enim delectamur alienis, quàm propriis; tùm quia similitudinibus mirificè capiuntur animi; Translatio autem similitudinem rei ad unum verbum contrahit. 4. Tandem quia (1) *Metaphora ferè rem sensibus admovet, maximè oculorum, qui sensus est acerrimus.*

In Metaphoris cavendum, ne ducantur à re dissimili, vel similitudo sit longè petita; neque ad rerum humilium illustrationem sumatur translatio à rebus nimis magnis, vel è contrà. Demum neque sordidæ sint Metaphoræ, nec nimiùm frequentes.

Metaphora ad delectandum, ornandum, remque penè ob oculos ponendam, valet, ut paulò ante dictum est; necnon ad commovendos Animos.

METONYMIA, quam & Hypallagen vocant, est

(1 *Voss. 2 p. Orat. instit. lib. 4. cap. 6. num. 14.*

est Tropus, quo sumitur,

Vel Causa pro Effectu, ut Lucæ 16.29. *Habent Moysen, & Prophetas*, pro scriptis Mosaycis, & Propheticis. Et Oseæ 4.8. de Sacerdotibus: *Peccata Populi mei comedent.* hoc est Hostias pro peccatis oblatas. Huc etiam refertur, cùm accipitur Inventor pro re inventa.

Vel Effectus pro Causa, ut pallida mors, quia reddit pallidum mortuum. Reg. 1. 15. *Siccine separas amara mors?* Et Genes. 25.23. *Duæ sunt Gentes in utero tuo* h. e. Gentium Authores.

Vel Continens pro Contento, & è contrà. Isaias 60.1 *Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum.* Matth Evang. cap 22.13. *Conijcite eum in tenebras exteriores.*

Vel Possessor pro re possessa, ut: Divites ab Adulatoribus devorantur, hoc est: Divitum divitiæ ab Assentatoribus consumuntur.

Vel Signum pro re signata, ut Toga pro Pace, Fasces pro Consulatu.

Vel Res signata pro signo; prima Corinth. 11. 10. *Ideò debet mulier habere potestatem supra Caput.* Idest velamen, signum potestatis, quam Vir in Mulierem habet.

Tropus hic ad copiam potiùs, quàm necessitatis, aut evidentiæ causa inventus est.

SYNECDOCHE est, cùm aut sumitur pars pro toto, ut Capitolium pro Roma. Genes. 46.27. *Omnes animæ domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta* Animas ibi pro integris hominibus posuit. Aut totum usurpatur pro parte, ut Annus frigidus pro hyeme. Lucæ cap. 16. 23. dicitur quod Dives apud inferos *vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius*. Ubi Dives, Abraham, & Lazarus sumuntur pro animabus eorum

Huc etiam pertinet, cùm species accipitur pro Ge-

Genere, ut si loca omnia amœna Tempe vocentur; vel Genus pro specie usurpatur, ut est illud Jacob Genes. 37. 33. *Fera pessima comedit eum, Bestia devoravit Joseph.*

Item cùm singularis Numerus pro Plurali, & è contrà, vel certus pro incerto numero ponitur. 1. David Psal. 77 *Misit in eos Cœnomyiam, & comedit eos; Ranam, & disperdidit eos;* Ubi Rana pro multitudine Ranarum positum est. 2 Jonæ 1. 5. *Descendit in interiora Navis;* Ubi Text. Hebræus: *Descendit in latera Navis*, hoc est, secundùm vers. Pagnini, & Vatabli ad unum è lateribus Navis. 3. Matth. 18. 22. *Non dico tibi usque septies; sed usque septuagies septies.* idest innumerabiliter, ut exponit Cornel. & innumerabilibus vicibus offensam Fratri, qui peccat, si pœniteat, dimitte.

Similiter cùm sumitur Materia pro re conflata ex illa, ut Ferrum pro gladio, Argentum, & Aurum pro argentea, & aurea pecunia.

Denique cum ex Consequentibus Antecedentia intelliguntur, vel è contrà. Gen. 3. 19 *In sudore vultus tui vesceris pane tuo;* hoc est in labore, qui sudorem antecedit, & efficit.

Synecdoche ad locupletandum sermonem pertinet.

IRONIA est, qua significatur per Irrisionem contrarium illius, quod verbis exprimitur. Sic Juvenalis (1) vesanam, ac ridiculam Ægyptiorum superstitionem deridet, qui non modò bestias, utpotè Crocodillos, Ibes, &c. Verùm & plãtas ipsas uti porrum, ac cepas, instar Deorum habebant, Divinoque Cultu prosequebantur.

O Sanctas Gentes, quibus hæc nascuntur in Hortis Numina!

M Ha-

(1) *Juvenal. satyra 15.*

Habes etiam Exemplum ex Genes. 3. 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum.* Et 3. Reg. 18. 27. *Illudebat illis Elias, dicens: Clamate voce maiore; Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur.*

Ironia, ut monet Fabius (1) *Aut pronunciatione intelligitur, aut persona, aut rei naturà; nam si qua earum verbis dissentit, apparet, diversam esse orationi voluntatem.*

His quatuor primariis Tropis adduntur plures alii, quos partim ut Species eorum, partim ut affectiones nonnulli (2) ex Rhetoribus agnoscunt. Sunt autem ANTONOMASIA, ONOMATOPOEIA, CATACHRESIS, HYPERBOLE, ALLEGORIA, aliique non pauci, quos, utpotè ad Institutum nostrum parum facientes, libenter omisimus.

ANTONOMASIA, latinè Pronominatio, ea Fabio dicitur, quæ aliquid pro Nomine ponit. Fit autem primo, cùm nomen Commune accipitur pro Proprio, ut Urbs pro Roma, Apostolus, aut Doctor Gentium pro D. Paulo, Sapiens pro Salomone, Salvator pro Christo, &c. Secundò cùm nomen Proprium pro Communi usurpatur, ut Cræsus pro divite, Achilles pro forti, Nero pro crudeli, &c.

Utimur Antonomasia vel ob necessitatem ex verbi penuria, vel ad ornatum; splendidiùs enim nominabis Caput V. G. Arcem Corporis Humani: vel ad dissimulationem, cùm dedita opera sermonem volumus obscurum reddere; vel ad indignationem, cùm scilicet exosum alicuius nomen proferre dedignamur, ideòque ad Antonomasiam recurrimus. ONO-

1) *Fabius lib. 8. cap. 6.* (2) *Voss. & Farnab.*

ONOMATOPOEIA est fictio nominis, ut Bombus ad significandum strepitum Apum. Paul. Gal. 2. 14. *Quomodò cogis Gentes Judaizare?*

CATACHRESIS, latinè Abusio, est, qua vocibus abusimur, easque tribuimus rebus, à quibus longè distant; idque vel necessitatis causa, ut cùm Parricida vocatur, qui Cognatum, aut Propinquum interemit, vel citrà necessitatem, ut cùm dicitur sperare pro timere.

HYPERBOLE, latinè Exuperatio, vel Superlatio, ea est, quæ augendæ, vel minuendæ rei gratiâ, aliquid dicit, quod fieri nullo modo possit. Exod. cap. 3. vers. 8. 17. *Educam vos ad Terram fluentem lac, & mel.* idest admodùm fœcundam. Genes. 13. 16. *Faciamque semen tuum sicut pulverem Terræ.* Psalm. 106. 26. *Ascendunt usque ad Cœlos, & descendunt usque ad Abyssos.* Levit. 26. 36. *Terrebit eos sonitus folii volantis.*

Usus Hyperboles Amplificationibus, & Extenuationibus deseruit; sed tàm in augẽdo, quàm in minuendo servanda est mensura quædam; quamvis enim omnis Hyperbole est ultrà fidem, non tamen esse debet ultrà modum, hæc Cyprianus. (1)

ALLEGORIA, quam Fabius Inversionem, Alii Diversiloquium interpretantur, est continuata quædam Metaphora, qua aliud verbis, & aliud sensu ostenditur, ut cùm Primitivæ Ecclesiæ persecutionem similitudine navis, tempestate laborantis, exprimimus.

Allegoriæ usus frequens est in Sacris literis. Gal. 4. 24. Per Filium Saræ, & Filium Agar duo testamenta figurantur. Joan 4. 35 *Videte Regiones, quia albæ sunt jam ad Messem* Idest Gentiles apti sunt ad credendum, & Psalm. 37. Vineam de

M 2 Ægy-

(1) *Cypr. lib. 3. cap. 21.*

Ægypto transtulisti, eiecisti Gentes, & plantasti eam, ideſt Iſrael.

In Allegoria ſervandum eſt illud Fabii, ut quo genere translationis cœperimus, eodem & deſinamus; turpe enim foret à tempeſtate initium ſumere, incendio, aut ruina finire.

Cavendum pariter, ne obſcurior ſit Allegoria, ità enim abierit in Ænigma; ſed nec frequentior, longior, & intempeſtiva.

Ad Allegoriam referuntur Apologi, Ænigmata, Proverbia, Parabolæ, & id genus alia, quæ aliud apertè dicunt, & aliud innuunt.

Tropus hic ad delectationem valet.

De Figuris.
Quid ſit Figura, & Quotuplex.

ARTICULUS II.

HUc uſque de Tropis; nunc ad Figuras, quæ Græcæ Schemata nuncupantur, tranſgredimur.

Eſt autem Figura (1) *Conformatio quædam Orationis remota à communi, & primùm ſe offerente ratione* seù: Figura eſt, qua recta, & vulgaris loquendi forma in aliam politiorem, & elegantiorem mutatur. Sit Exemplum 1. Corinth. 15. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Figuratè hic Apoſtolus per Interrogationem locutus eſt; quantò elegantiùs, & ornatiùs, ac ſi per ſimplicem, & vulgarem ſermonem dixiſſet: Si quis infirmatur, & ego infirmor; ſi quis ſcandalizatur, ego uror.

Inter Tropos & Figuras hoc intereſt, quod Figura

(1) *Fabius lib.9.cap.1.*

gura tàm propriis, quàm impropriis fit verbis: Tropus verò sine propriæ significationis mutatione esse non potest.

Figurarum duo sunt Genera: Aliæ dicuntur Figuræ Verborum, Aliæ Sententiarum.

Figuræ Verborum sunt, quæ venusta, & concinna verborum collocatione constant, qua sublata, mutatur, vel tollitur Figura.

Figuræ Sententiarum non in verbis, sed in rebus ipsis sunt positæ; ideòque etsi mutentur verba, quia tamen res eadem manet, manet etiam, non dissolvitur Figura. Illustremus rem Exemplo. D. Paul. 2. Corinth. 11. sic ait: *Hebræi sunt? & ego. Israelitæ sunt? & ego. Semen Abrahæ sunt? & ego &c.* In hac locutione duplicem habes figuram, alteram Verborum, quæ dicitur Conversio, consistens in repetitione illius vocis, Ego; Alteram Sententiarum, quæ vocatur Interrogatio. Fac verba immutes hoc modo: Numquid ego non sum Hebræus, Israelita, & semen Abrahæ, sicut illi? per hanc commutationem verborum Conversio jam periit; sed Interrogatio non amittitur.

De Figuris Verborum.

PUNCTUM I.

Figuræ Verborum tribus efficiuntur modis. 1. Per Additionem, 2. per Detractionem, 3. per Similitudinem.



Figuræ Verborum per Additionem.

PRimum in hoc genere sibi locum vendicat REPETITIO, Græcè ANAPHORA. Ea verò est, cùm eadem vox repetitur in principiis vel Incisorum, vel Membrorum, vel Periodorum. Hieremi. 50 *Gladius ad Chaldæos: Gladius ad divinos eius, qui stulti sunt: Gladius ad fortes illius, qui timebunt: Gladius ad equos eius: Gladius ad Thesauros eius, qui diripientur.* D. Aug. (1) De Martyris constantia: *Mansit usque ad tentationem: Mansit usque ad tyrannicam interrogationem: Mansit usque ad acerrimam comminationem: Mansit usque ad peremptionem, &c.*

Valet hoc Schema ad delectandum, & amplificandum; quod si fiat per Interrogationem, ad motus etiam Animorum excitandos valet.

CONVERSIO, Græcis EPIPHORA, est, cùm eadem vox repetitur in pluribus clausulis. D. Paulus, 2. Corinth. 2. 22. *Hebræi sunt? & ego. Israelitæ sunt? Et ego. Semen Abrahæ sunt? & ego, &c.* Idem 1. Corinth. 13. *Cum essem Parvulus, Loquebar ut Parvulus, Sapiebã ut Parvulus, cogitabam ut Parvulus.*

Delectat pariter hęc Figura, exaggerat, motusque animorum ciet.

COMPLEXIO, quæ Græcis SYMPLOCE dicitur, Repetitionem, & Conversionem unà complectitur; in hac enim idem primum Verbum repetitur in principiis, & ad idem postremum revertimur in clausulis. D. Bonaventura (2) *Si vis patienter tolerare adversa, Vaca Orationi. Si vis tentationem, & tribulationem superare, Vaca Orationi.*

(1) D *Aug. in* Joann. *tract.* 27. (2) *D. Bonav. apud Granat.*

ni. Si vis pravas affectiones conculcare, *Vaca Orationi. Si vis* astutias Sathanæ cognoscere, ac eius fallacias vitare, *Vaca Orationi*, *&c.* Ut plurimum tamen fit per Interrogationem, E. G. *Quid* eras, priusquam te conderet Deus? *Nihil*. *Quid* eras, priusquam te redimeret Christus? *Nihil*. *Quid* nunc futurus esses, si tibi subduceret gratiam suam? *Nihil. Quid* habes, aut potes ex te ipso? *Nihil*.

Hoc modo adhibita hæc Figura, maiorem vim habet, & acrimoniam, utimurque in exhortando, obiurgando, & aliàs in affectibus ciendis.

EPANALEPSIS est Repetitio, quæ fit initio præcedentis, & fine sequentis sententiæ. D. Paul. *Gaudete* in Domino semper, iterum dico *Gaudete*.

Movendi vim habet, ac delectandi, valetque præcipuè ad res graves cum maiestate inculcandas.

ANADIPLOSIS est, quæ idem verbum in fine præcedentis, & principio sequentis sententiæ repetit. Psalm. 121. Stantes erant pedes nostri in Atriis tuis *Hierusalem, Hierusalem*, quæ ædificatur ut Civitas, &c.

Figura hæc suavitatem habet, & Emphasim addit Orationi.

EPIZEUXIS est, quæ idem verbum, aut sententiam, Vel continuatè, nulla alia interiecta voce, conduplicat, ut Isai. 40. *Consolamini*, *Consolamini*, Popule meus, &c. Vel quasi continuatè, una, aut pluribus vocibus interiectis, congeminat, ut: Heù miseros (lacrimare tantisper hìc decet) Heù miseros, inquam, mundanos, quorum fœdæ, & momentaneæ voluptates tam luctuoso exitu terminantur!

Valet ad reprehendendum, & vim Orationi ingerendam, necnon ad aliquem affectum exprimendum.

TRA-

TRADUCTIO, Græcè POLYPTOTON, ea est, qua eadem vox crebrò repetitur, variatis casibus, & terminationibus, ut: *Pleni* omnes sunt libri, *Plena* Sapientium Voces, *Plena* Exemplorum vetustas. Et Apost. ad Rom. 11. 36. *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

Venustatem affert Orationi, & plerumque vehementiam.

SYNONYMIA est, cùm plura Verba, idem significantia, congregantur. Judith. cap. 7. 19. *Peccavimus cum patribus nostris, injustè egimus, iniquitatem fecimus.*

Utimur hoc Schemate ad rei dignitatem pleniùs, atque expressiùs demõstrandam; Tùm etiam ut gravitatem, & acrimoniam addamus Orationi.

POLYSYNDETON est Figura, quæ conjunctionibus, plusquam communiter solet, abundat. Apost. 1. Corinth. 4. *Usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cadimur, & instabiles sumus, & laboramus, operantes manibus nostris.*

Valet ad amplificandum, ad instandum, & urgendum magis; Necnon ut (1) diversa, quæ dicimus, retardata sermonis cursu, magis singula animum afficiant.

GRADATIO, Grecè CLIMAX, est, ut ait Erasmus, (2) quoties ità per gradus Oratio distinguitur, ut dictio finiens particulam præcedentem, inchoet sequentem. Rom. 5. *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit.* D. Augustinus (3) *Ex voluntate perversa facta est libido; & dum servitur libidini, facta est consuetudo; & dum consue-* tu-

(1) *Voss. 2. p. lib. 5. cap. 2. num. 2.* (2) *Erasm. lib. 3. Eccles.* (3) *August. lib. 8. Confess. cap. 5.*

tudini non resistitur; facta est necessitas.

Gradationis usus in Sorite est, valetque tum ad docendum, tum etiam ad delectandum.

Figuræ Verborum per Detractionem.

ASYNDETON, sivè DISSOLUTIO est, cùm plura dissolutè sine conjunctionibus dicuntur, E.G. Vidisti, desiderasti, turpiter manum injecisti, aliena re locupletatus es. Sic D. Paul. ad Rom. I. 29. *Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, &c.*

Hujus Figuræ geminus est usus, I. ut (1) expedita, volubilis, & concitata Oratio indicet rerum celeritatem. 2. Ut (2) majorem ad Affectus ciendos vim habeat.

ADJUNCTIO fit, cùm plures sententiæ ad unum verbum referuntur, quarum unaquæque illud desideraret, si sola poneretur, ut: Non mortis periculum, Non districti Judicii metus, Non Gehennæ incendium à peccandi libidine peccatorem coercet.

SYNECDOCHE, Latinis Intellectio, non modò Tropus, de quo suprà, verùm & Figura verborum est, qua (3) subtrahitur Orationi aliquod verbum, quod satis ex cæteris intelligitur, ut si dicas: Ad mortis nuncium omnes pallescere, formidare, contremiscere, hoc est, incipiunt. Genus hoc Figuræ aliis (4) dicitur Ellipsis.

SYNOECIOSIS, latinè Commixtio, est Figura, quæ duas res diversas colligat, ut: Tàm deest

Ava-

(1) *Voss. 2 p. lib. 5. cap. 11.* (2) *Plutarch lib. de Homero.* (3) *Quintil. lib. 9. cap. 3.* (4) *Aquil. Roman. Causinus, Verepæus.*

Avaro quod habet, quàm quod non habet. Item: Utraque pessima, & immoderata servitus, & immoderata libertas.

Figuræ Verborum per Similitudinē.

ANNOMINATIO, Græcè PARONOMASIA, quam Recentiores ALLITERATIONEM vocant, est, cùm paululùm immutata verba, atque deflexa, in oratione ponuntur D.Cyprian. de Habitu Virginum: *Capilli tibi non sunt, quos Deus fecit; sed quos Diabolus infecit.* D. Bernardus, cui familiaris admodùm hæc Figura: *Monachi hoc in Cellis agant, quod Angeli in Cœlis.* D. August. (1) *Ità certum habebam, esse me tius tuæ Charitati me dedere, quàm mea cupiditati cedere.*

Ad jocum præcipuè adhibetur Paronomasia, unde in Oratione Sacra vix ullus est ei locus; nisi fortè hæc Figura, alioqui levis, sententiarum pondere impleatur, & hoc modo delectabit, & punget.

SIMILITERCADENS, Græcè HOMOEOPTOTON, est Figura, qua plura verba in eadem tempora, vel plura Nomina in eosdem casus cadunt. D.Cyprianus: *Certè & labor irritus, & nullus effectus offerre lumen Cæco, Sermonem Surdo, Sapientiam Bruto; cùm nec sentire Brutus possit, nec Cæcus lumen admittere, nec Surdus audire.*

SIMILITERDESINENS, Græcè HOMOEOTELEUTON, est, cùm Orationis membra, sivè articuli, similem habent terminationis sonum, ut si dixeris: Non eguisti calcare, ex quo cæpisti Sapientiam amare. Et: da lætanter, ut recipias abundanter.

In-

(1) *Aug. Confess. lib. 8. cap. 5.*

Inter Similitercadens,& Similiterdesinens hoc discrimen est, quod (1) Similitercadens fieri potest vel in principiis, vel medio, aut fine sententiarum; Similiterdesinens fit tantùm in fine. Præterea (1) Similitercadens locum habet solum in iis, quæ declinantur, cujusmodi sunt Verba, Nomina, Pronomina, Participia; Similiterdesinens in quibusuis vocibus committitur, modò similem terminationis sonum habeant.

Nota demum quod (1) si in fine sententiarum iidem sint, sivè nominum, sivè verborum casus, & hi ipsi casus habeant similem omninò sonum, tunc Homœoptoton fuerit, simul & Homœoteleuton, quale est illud Cypriani: *Qui ad malum motus est, mendacio fallente, multò magis ad bonum movebitur, veritate cogente.*

COMPAR, Græcis ISOCOLON, illud est, quod habet membra Orationis, quæ constant ex pari ferè syllabarum numero. D. Cypr. *Mundus ipse Occasum sui rerum labentium probatione testatur. Non hyeme nutriendis seminibus tanta imbrium copia est; non frugibus æstate torrendis solita flagrantia est; non sic verna de temperie sata læta sunt; nec adeo arboreis fœtibus Autumna fæcunda sunt.*

Compar, Similiterdesinens, & Similitercadens, ad delectationem, & suavitatem multùm valent.

His Figuris adduntur etiam CONTRAPOSITUM, & COMMUTATIO (contrarietas enim certo ordine posita, similitudinis rationem habere videtur) nec non & Correctio.

CONTRAPOSITUM sivè CONTENTIO, Græcè ANTITHESIS, & ANTITHETON, est Figura, quæ Verba Verbis, vel sententias Sententiis opponit. Prior ad Figuras Verborum refertur; posterior ad Sententiarum. Verba Verbis opposuit, qui dixit. Amici-

(1) *Voss 2 p. lib. 5. cap. 5.*

citias immortales, Inimicitias mortales esse debere D. Cypr. *Gratulandum est, cum impii de Ecclesia separantur, ne Columbas, ne Oves Christi, sæva sua, & venenata contagione prædentur. Cohærere, & conjungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, &c.* Sententias oppositis Sententiis subiecit D. Basilius, cùm in laudem Martyrum dixit: *Pericula non respicit Martyr, coronas respicit: Plagas non horret, sed præmia numerat: Non videt lictores infernè flagellantes, sed Angelos supernè lætos, hominibus acclamantes: Non spectat ad temporalia pericula, sed ad præmiorum æternitatem, &c.* Sic D. Paul. *Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: Blasphemamur, & obsecramus, &c.*

Valet Antithesis ad delectandum, & varios animi motus excitandos, utpotè odii, commiserationis, & doloris, admirationis, & stuporis; cavendum tamen est à nimia Antithesium frequentia.

COMMUTATIO, Græcis ANTIMETABOLE, seù METABOLE, est, cùm duæ Sétentiæ inter se discrepantes ità exprimuntur, ut à priori posterior proficiscatur. V G. si dicas: Oportet edere ut vivas; non vivere ut edas. Sic 2. Machab. 5. 19 *Non propter locum Gentes, sed per Gentem locum Deus elegit.* & Marci 2. 27. *Sabbatum propter Hominem factum est, & non Homo propter Sabbatum.*

Venustatem Orationi, & interdum acrimoniam præbet.

CORRECTIO tùm Verborum, tùm Sententiarum Figura est, Ad Figuras Verborum pertinet, cùm aut Verbum emendat, nullo alio subiecto meliore; aut Verbum prius positum ità corrigit, ut aliud magis idoneum illi substituat. En exempla: 1. Dereliquit Homo Factorem suum. Homo, inquam, si hoc eum nomine appellari fas est, qui

con-

contra Rationem operatur. 2. O Clementiam Salvatoris, seù potiùs patientiam miram, & singularem! De Correctione, ut Figura Sententiæ, vide inferiùs in prima Classe Figurarum Sententiarum.

Aptissima est Correctio ad amplificandum, & movendum.

De Figuris Sententiarum.

PUNCTUM II.

Figuræ Sententiarum, non in Verbis, ut diximus, sed in rebus ipsis quamdam habent dignitatem. Has, ut Oratoris ordinem sequamur, in tres Classes distribuimus pro triplici Concionatoris munere, quod est Docere, Delectare, & Movere. Aliæ igitur ad dicendum, docendumque sunt accommodatæ; aliæ ad delectandum, ad movendum aliæ.

Prima Classis Figurarum, Ad dicendum, docendumque pertinentium.

DEFINITIO dicitur quævis Nominis, aut Rei explicatio. Tunc autem inter Schemata numeratur, cùm Dilucidandi, aut ornandi, aut amplificandi gratia adhibetur. D. Cyprian. de Habitu Virginum Disciplinam sic definit: *Disciplina custos spei, retinaculum Fidei, dux itineris salutis, fomes, & nutrimentum bonæ Indolis, Magistra Virtutis, &c.*

N DI-

DISTRIBUTIO, seù PARTITIO, est, cùm totum in partes diducimus, & hæc quoque tunc est Figura, cùm ad ornandum, vel amplificandum assumitur. D.Bernard. (1) *Cogitationum multiplex varietas esse cognoscitur; Aliæ namque Cor inflant, aliæ elevant, aliæ perturbant, aliæ dissipant, confundunt, distendunt, ligant, inquinant, contrahunt, corrumpunt. Inflant, ut superbæ; elevant, ut vanæ; perturbant, ut invidæ; dissipant, ut iracundæ; confundunt, ut acediosæ; distendunt, ut ambitiosæ ligant, ut gulosæ; inquinant, ut luxuriosæ; contrahunt, ut timidæ; corrumpunt, ut malitiosæ, &c.*

INTERPRETATIO est Figura, qua dictum, vel factum alicuius juxtà sententiam, & mentem nostram interpretamur: ut si de Christo in Cruce sitiente dicas: Noli putare, fluentium, ac refrigerantium aquarum hanc sitim esse, sed tormentorum. Sitio, inquit, quasi dicat: Majores, & amariores pœnas anhelo: plura pro homine sustinere desidero. Unius calicis haustus inextinguibilem meæ Charitatis ardorem compescere non est satis. Mori semel Amanti non sufficit. & si pœna est mihi mori, ea est, quia cessant mihi pœnæ per mortem. Crucior igitur, quia graviùs non crucior, &c. Per hanc eamdem Figuram peccatoris factum interpretaberis hoc modo: Quid aliud agit Homo, cùm peccat, nisi quod Divinæ legis mandata pessumdat, Christo in faciem expuit, & spontè sese Diabolo mancipium addicens, Deum repellit, quasi dicat: Recede à me, tibi famulari non lubet: dignior est Diabolus, cui serviam, quàm tu: plus delectant mundi stercora, quàm Cœli divitiæ, & Gloria, &c.

CONGERIES, Græcè SYNATHROESMUS, est, cùm

(1) *Bennard lib. de conscientia cap. de multipl. varietate cogitationum.*

cùm plura verba, sivè res, sivè personæ, sivè actiones, sivè argumenta, in unum quasi acervum congeruntur, & condensantur; ut incitatior fiat Oratio, & torrentis instar Auditorum animum abripiat. Cypr. contrà Demet. *Innoxios, Justos, Deo caros, domo privas, patrimonio spolias, catenis premis, carcere includis, gladio, bestiis, ignibus punis, &c.*

Amplificationibus hoc Schema satis idoneum, & ferè adhibetur, ubi incalescit Oratio.

OCCUPATIO, sivè ANTEOCCUPATIO (PRÆSUMPTIONEM vocat Quintilianus, Græci PROLEPSIN) est, cum id, quod obiici potest, anticipamus, atque diluimus, V.G. Si de Orationis efficacia sermonem egeris, Occupationem effinxeris hoc modo: At dicet aliquis: Cur ergo, si petenti, & pulsanti præsto adest Deus, inanes petitiones meæ toties ceciderunt? Ad hæc respondeo, quod multoties Deus petentibus non indulget; vel quia malum est, quod petitur; vel quia, bonum licèt, malè petatur, &c. Occupatione usus est David Psalm. 50. cùm dixit: *Quoniam si voluisses Sacrificium, dedissem utique.*

Huius Figuræ usus ut plurimùm est in Exordiis, Confutationibus, & Probationibus; necnon ubicumque aliquid est dicendum, quod minùs jucundum fore videatur.

COMMUNICATIO, Græcè ANACOENOSIS, est Figura, qua vel ab iis, apud quos, vel contrà quos dicimus, consilium petimus; vel cum iis ipsis deliberamus. 1. In hoc turbulentissimo statu date consilium, quid mihi censetis faciendum. 2. Te, Peccator, appello, tuæ me sententiæ subscribam. Si Christum hodie coram te exprobrari, cædi, pessumdari, sauciari videres; nonne ira excandesceres, & piè furens, in sacrilegum ipsum, veluti laniaturus, irrueres? &c. Act. cap. 4. 19. *Si Justum*

est in conspectu Dei vos potius audire, quàm Deum, judicate.

Hoc Schema vim habet maximam ad fidem faciendam, & excitandos Affectus.

CONCESSIO, Græcis PAROMOLOGIA, est Exornatio, qua aliquid, etiam iniquum, vel pati, vel concedere videmur; ut id, quod maximè causam juvat, impetremus. D. Cyprianus de Habit. Virg. *Locupletem te esse dicis, & divitem, & utendum putas iis, quæ possidere te Deus voluit Utere, sed ad res salutares: Utere, sed ad bonas artes: Utere ad illa, quæ Deus præcipit, quæ Dominus ostendit. Divitem te esse sentiant Pauperes, locupletem sentiant indigentes. Patrimonia tua Deo fœnera, Christum ciba, &c.*

SUSTENTATIO, quæ à nonnullis INOPINATUM, Græcè verò HYPOMONE dicitur, est figura, qua diu suspenduntur Auditorum animi, atque aliquid deinde inexpectatum subiungitur; ut si de Muliere illa, in adulterio deprehensa, & ad Christum perducta, diceres: Expectare, nunc mihi videmini, quid de ea factum sit, quamvè Christus in ream capitalis sceleris ediderit sententiam. State paululùm, & videbitis novum, & dignum Deo Judicium. Accusatione percepta, & criminis veritate Adulteræ silentio firmata, non lapidibus obrui, ut Mosaica lex erat, imperavit; at neque coram accusatoribus impunem dimittendam decrevit; Sed nihil dicens, inclinavit se deorsum, & digito scribebat in Terra, &c. & post multa subdes: *Nemo te condemnavit, nec ego te condemnabo, &c.*

Pulchrum Sustentationis Genus est, cùm magnum aliquod polliciti, tenuissimum quoddam proferemus. Hac ratione (verbis utor, & exemplo disertissimi Granatensis) Pharisæorum levitatem amplificare possumus, qui discipulos Domini accusandos putabant, quod illotis manibus manduca-

ducarent. Priùs enim Scribarum, & Pharisæorum dignitas exponetur, atque eorum præcipuè, qui ab Hierosolymis veniebant; mox eorumdem ad Christum accessus; tùm demum eorum accusatio. *Quare* inquiunt, *Discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum*? Magnum prorsus, & execrandum crimen, cùm scriptum sit (1) *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui*. Sed videamus, quale sit hoc crimen, qualis ista transgressio. *Non*, inquiunt, *lavant manus suas, cùm panem manducant*. Quid hac accusatione magis ridiculum? hoccine erat illud crimen, quod tanti Doctores communi consilio exprobrare volebant?

Aptissima ad docendum hæc Figura, & attentionem conciliandam; insuper ad laudem, & vituperium, ad exaggerationem, & diminutionem; præterea ad delectationem.

Correctio, quam inter Figuras Verborum suprà numeravimus, est etiam Sententiarum, cùm scilicet tollimus Sententiam aliquam, & eam alia, quæ magis idonea videtur, emendamus, & corrigimus. Exempli loco sit: Humilitas tam fuit depressa in Terram, vel potiùs, tam fuit erecta in Cœlum, ut primas præripuerit omnibus, secundas vix reliquerit ulli.

Antithesis etiam ad Figuras Sententiarum pertinet. De hac plenè dictum, ubi de Figuris Verborum per Similitudinem egimus.

Prætermissio, seù Præteritio, Græcè Apophasis, est Figura, qua profitemur, dicimusque nos ultrò omittere, aut nolle dicere id, quod tunc maximè dicimus. D. Cyprian. in Epist. ad Corn. *Taceo de fraudibus Ecclesiæ factis; coniurationes, &*

(1) *Proverb. 22.*

adulteria, & varia delictorum genera prætereo. Unum illud, &c.

Tribus de causis, juxtà Hermogenem, utimur hac Figura, *Vel quia res sunt parvæ; vel quia notæ, vel quia ingratæ, & molestæ, Non tamen plenè præterimus; quia sunt Oratori utiles.*

Adhibetur hoc Schema tùm in laudatione, tùm in reprehensione: & ad probandum, vel refellendum non mediocriter conducit.

Secunda Classis Figurarum, Quæ ad delectandum sunt appositæ.

APOSTROPHE fit, cùm Sermonem ad aliam personam, vel quasi personam, avertimus, quàm instituta Oratio requirat. Christus apud Matth. (1) *Væ tibi, Corozain; Væ tibi, Bethsaida; quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis; olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent, &c. Et tu Capharnaum, numquid usque in Cælum exaltaberis? usque in infernum descendes, quia, &c.* David Psalm. 113. *Mare vidit, & fugit; Jordanis conversus est retrorsum. Quid est tibi, Mare, quòd fugisti, & tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum?*

DESCRIPTIO, ut aliàs diximus, est perspicua, & dilucida rerum cum gravitate Expositio. De Descriptione, & variis ejusdem speciebus, juxtà variam rerum describendarum Naturam, jam vidimus in 2. parte cap. 8.

HYPOTYPOSIS, Latinè Demonstratio (Cicero Descriptionem vocat) est Figura, qua sic ad vivum

(1) *Matth, 11, 21.*

vivum res verbis exprimitur, ut cerni coram videatur. D. Chrysost. (1) Crudelis Avari speciem ob oculos ponit hoc modo: *Fingite videre tetrum quemdam hominem, qui ab oculis ignem emittat, cui ex utroque humero dracones pro manibus pendeant, cuius os, cavernæ instar, magnitudine sit, in quo pro dentibus acuti enses stent, ex lingua venenosus fons scaturiat; venter omni fornace sit ardentior, cuncta, quæ immittuntur, consumens, &c.*

Non inelegantiùs D. Greg. Theologus admirandam septem Machabæorum Matris constantiam per Hypotyposim, adiuncta Sermocinatione, depingit (2) Sic enim ait: *At verò egregia Mater gaudio simul, ac mœrore afficiebatur; atque in duorum affectuum meditullio posita erat: Nam ut filiorum fortitudine, certaminumque spectaculo mirificè delectabatur; sic rursus, cùm incertum pugnæ eventum, incredibilemque tormentorum magnitudinem secum reputaret, timore commovebatur. Ac proinde illos, non secus atque avicula, pullos suos arripiente angue, aut alia quapiam insidiatrice bestia, circumvolabat, stridebat, obsecrabat, certantes adiuvabat: nihil denique non dicebat, ac faciebat, quò illos ad victoriam paratiores, instructioresque redderet. Cruoris guttas rapiebat, fragmenta membrorum excipiebat, reliquias adorabat: hunc colligebat, illum porrigebat, alium parabat, omnibus acclamabat: Euge Filii mei, euge strenui milites, euge in corporibus fermè incorporei, euge Legis, canæque senectutis meæ, atque Civitatis, quæ vos aluit, atque ad eam Virtutis magnitudinem evexit, Antistites, atque Patroni Paulùm adhuc, & vicimus: paulùm adhuc, & ego inter mulieres beata, & vos inter adolescentes beati, &c.*

Per Hypotyposim describimus non solùm ea, quæ

(1) *Chrysost Hom 29 in Matth.* (2) *Greg. apud Granat. de arte Concion. lib. 3 cap. 6.*

quæ facta sunt, vel fiunt, verùm & quæ futura sunt, vel accidere poterint: Atque ejusmodi rerum futurarum descriptiones proponi possunt in has, vel similes formas, E.G. Hæc, quæ non vidistis oculis, animis cernere potestis, &c. Videre mihi videor venientem in nubibus Christum cum potestate magna judicaturum, &c. Fingite vobis, &c. Quid futurum putatis, cùm ad extremum vitæ agonem Peccator devenerit? &c.

Valet hæc Figura non solum ad delectandum, sed ad movendum quoque.

SERMOCINATIO dupliciter definitur, à Cornificio his verbis: Sermocinatio est, cùm alicui Personæ sermo attribuitur, & is exponitur cum ratione dignitatis, hoc est, ait Fabius, explicans postrema verba, *Si ea locutam finxerimus, quæ cogitasse eam, non sit absurdum.* A quibusdam aliis definitur hoc modo: Sermocinatio est ficta Personarum collocutio. Ex hac duplici definitione colligitur, quod bifariam fit Sermocinatio; Vel enim unius dumtaxat, secum disputantis, & cogitantis, quid agere debeat, Sermonem recitat Orator, & dicitur à quibusdam DIALOGISMUS; Vel duos, aut plures mutuò inter se loquentes inducit, & vocatur DIALOGUS. Utriusque Sermocinationis exempla frequenter occurrunt legenti.

ETHOPOEIA, quam cum Dialogismo nonnulli confundunt, est alienorum affectuum, qualiumcumque, dictorumque imitatio. Vel: Est expressio morum, & affectuum alicuius Personæ superstitis, quam suos sensus prodentem repræsentat Orator. Talis est illa in Cantico Moysis, Pharaonem loqui inducentis (1) *Persequar, & comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea: Evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* In

(1) *Exod*, 15.

In construenda Æthopœia, tria hæc tempora percurremus:

Præsens, Præteritum, & Futurum.

In Præsenti calamitates, & infortunia minutim examinantur.

In Præterito cum anteactis calamitatibus, vel fælicitatibus præsentes erumnæ comparantur; ut ex illarum memoria vehementiùs accendatur affectus.

In Futuro vel de remedio consultatur, vel desperatio fingitur.

Idolopœia à quibusdam dicitur, qua mortuos inducimus loquentes. E. G. Patrem defunctum ingratam Filii oblivionem exprobrantem; Epulonem Fratres commonentem; D. Paulum vaniloquos Evangelii Prædicatores corripientem, &c.

Prosopopœia, ex Cicerone, est ficta Personæ inductio; seù Personæ fictio, & conformatio, ut alii. Fit autem, cùm Vel rebus inanimis, aut mutis animantibus sermonem accommodamus; ut si quis inducat lapides Sanctuarii clamantes, Romam gloriabundam, corvum Paulo cibum deferentem, eumdemque alloquentem, &c. Vel iis, quæ Corporis expertia sunt, Corpus & verba tribuimus; ut si inducamus Deum, vel Angelum, vel Dæmonem verba facientem. Secundum hoc genus Prosopopœiæ ad Idolopœiam nonnulli referunt. Habacuc. 11. 12 *Lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit: Va, qui ædificat Civitatem in sanguine, & præparat Urbes in iniquitate, &c.* Baruch 3. 34 35. *Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, & lætatæ sunt, vocatæ sunt, & dixerunt: adsumus.* D. Cyprianus (1) Diabolum inducit Christo exprobrantem eorum ho-

(1) *Cypr. Serm. de Eleemosyna.*

hominum insaniam, qui in damnandos sumptus omnia profundunt; Pauperibus nihil impertiunt, sic autem ait: *Ponat unusquisque ante oculos suos Diabolum cum servis suis, id est cum Populo perditionis, & mortis; in medio prosilire Plebem Christi, præsente, & judicante ipso, comparationis examine provocare, dicentem: Ego pro istis, quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec Crucem portavi, nec sanguinem sudi, nec familiam meam pretio Passionis ac Crucis redemi; sed nec Regnum Cæleste illis promitto, &c.*

Ethopœia, Idolopœia, & Prosopopœia, præter delectationem, valent plurimùm ad augendum, & commiserationem, aliosque affectus excitandos.

COMPARATIO etsi à nonnullis è Schematum numero excludatur, quod censeatur veriùs esse Probationis pars, quàm Figura Sententiæ; non desunt tamen, qui inter Figuras eam reponant; videtur enim magis ad illustrandum, & ornandum instituta, quam ad probandum. De hac fusè dictum in 1. parte art. 2. sect. 1.

Usum hic tantum attingimus: valet ad suaves motus excitandos; ad exornationem, & ad perspicuam dicendi methodum.

Tertia Classis Figurarum, Quæ ad permovendos Animos sunt idoneæ.

INTERROGATIO tunc Figura est, quoties non discendi, sed instandi causa assumitur. Mirificè Oratorem juvat; vires enim, & aculeos addit Orationi; venustatem, & varietatem inducit, atque ad probandum vim habet maximam; videndum tamen ne immodicè adhibeatur.

Va-

Varios per hanc Figuram animi motus exprimimus.

Aliquando per ipsam instamus, atque urgemus, ut: Quousque Dei Patientia abutèris, ingratissime Peccator? Quamdiu ad Christi voces obsurdesces? quid dissimulas? quid tergiversaris? quò fugis? &c.

Quandoque terrendo monemus. sic D. Ambros. ad Virginem devotam (1) *Quid tibi cum mortalibus? quid in illis desideras, ac requiris? Castimoniam, quam non habent? Quid? Fidem, quam non inveniunt? Doctrinam, quam non sequuntur? Jejunium quod oderunt? Abstinentiam, quam iudicant? Humilitatem, quam opprimunt? Sobrietatem, quam negligunt? Synceram mentem, quam non habent? Verecundiam, quam à se proiiciunt? &c.*

Nonnumquam indignamur. Hier. 5. 9 *Numquid super his non visitabo, dicit Dominus, & in Gente tali non ulciscetur Anima mea?*

Sæpè etiam conquerimur. Habacuc 1. 2 *Usquequò, Domine, clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te, vim patiens, & non salvabis?*

Interdum optamus. Job 14 *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro, &c.*

Non raro dubitamus. Hier 6 10. *Cui loquar? Et quem contestabor, ut audiat?*

Et ne longiùs per aliorum Affectuum exempla, quorum nusquam non magna copia est, vager, per Interrogationem quoque affirmamus, vel negamus Ut est illud Apostoli: *Non sum liber? Non sum Apostolus? Nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi?* Et Psal. 26. *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?*

SUBJECTIO à quibusdam dicitur, cùm Inter-

(1) *Ambros. cap. 1.*

terrogationi Responsionem subiicimus. D.Paul. ad Rom. 7. 24. *Infelix ego homo; quis me liberabit à corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*. Alii verò Subiectionem vocant eam Prolexeos, seù Occupationis partem, qua contrariam rationem solvimus. Aliis tandem Subiectio dicitur, in qua multa, sivè per Interrogationem, sivè absque ea, breviter adducuntur, & unicuique eorum sua subditur responsio. Sic Petrus Cellensis (1) fortem hominem, & in adversis constantem, victoremque, pulchrè admodum describit: *Ecce caminus; sed non timet aurum. Ecce Mare; sed supernatat folium. Ecce Malleus; sed non confringitur Adamas. Ecce Ventus; sed Mons Sion non commovetur. Ecce Prælium, sed Miles tenet gladium.*

EXCLAMATIO definitur Orationis elatio, & contentio, ad augendum reperta, quæ interiectione quadam expressi, vel intellecta, motum vehementiorem efficit, reique magnitudinem exprimit. Gal 3. *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire Veritati?* Absque expressa interiectione D.Paul. (2) *Infelix ego homo; quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

Variis Affectibus inseruit: Indignationi, Admirationi, Correctioni, &c. aliquando etiam Ironiæ.

Hac tamen Figura non utimur, nisi post rem aliquam insignem suasam, vel saltem sufficienter expositam; licèt in rebus atrocibus, ut inquit Cicero, vim Exclamatio majorem habeat, si rei declarationem antecedat. Ex quo liquet quod, etsi in Amplificationibus, & Epilogis aptissimum sibi locum vindicet hoc Schema; in re tamen lugubri, & inexpectata, ab Exclamatione quandoque exordiri absonum non est.

ACCLA-

(1) *Lib. 7. Epist. 2.* (2) *D. Paul. Rom. 7. 24.*

ACCLAMATIO, Græcis EPIPHONEMA, est, cùm rei narratæ, aut probatæ subiicitur, veluti coronis, quædam gravior Sententia, seu Pronunciatum, ex superioribus expressum. Sic Sulpicius Severus post commemoratam D. Martini morientis orationem, tandem acclamat: *O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum!*

At non semper Epiphonema fit cum admiratione, ut in Exemplo allato; quandoque enim sine Admiratione est, ut illud in fine Psalmi 2. *Beati omnes, qui confidunt in eo.*

Interdum Epiphonema causam continet facti, ut Joan. 12. *Multi etiam ex Principibus crediderunt; sed propter Pharisæos non confitebantur, ne de synagoga eiicerentur:* Mox subdit: *Dilexerunt magis gloriam hominum, quàm gloriam Dei.*

Quandoque summam continet rei: Sic ille (1) postquam docuit, quodvis animal ex re aliqua delectationem capere, subiecit. *Trahit sua quemque voluptas.* Huc spectat illud Davidis, (2) qui mirabilium operum Dei narrationem claudit hoc Epiphonemate: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in universa Terra!*

Denique fit Epiphonema, ut priora confirmet, V. G. si post multa de Susannæ constantia, lascivorum, ac petulantium Senum insidias eludentis, adiicias: Maluit innocens mori, quàm rea vivere.

DUBITATIO, vel ADDUBITATIO, dicitur, cùm Animus pendet, ac nescit, quid è duobus, aut pluribus dicendum, aut agendum sit. D. Cypr. de Christi Confessore Celerino, eodemque à parentibus Martyribus orto. *Non invenio*, inquit, *quem beatiorem magis dicam, utrumne illos de Posteritate tam clara, an hunc de Origine gloriosa.* Et D.

(1) Virg. Egloc. 1. (2) Psalm. 8.

Greg. de Magdalena: *Quid igitur miramur, fratres, Mariam venientem, an Dominum suscipientem? suscipientem dicam, an trahentem?*

Apta satis ad rem amplificandam, & attentionem Auditoris parandam; estque Exordiis peridonea.

ADMONITIO fit, quoties placidè quempiam, aut benevolè admonemus officii. Isai. 1 *Quærite Judicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam.*

DEPRECATIO, quæ & OBSECRATIO, & OBTESTATIO dicitur, est, qua opem alicuius imploramus. Ephes. 4. *Ipse autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem Christi, &c.* Et David in Psal. *Exurge, quarè obdormis, Domine? Exurge, & ne repellas in finem.*

OPTATIO est vehementis alicuius desiderii significatio, quâ quod nobis, aut aliis prosit, optamus. Job. 14. *Quis mihi hoc tribuat, ut in Inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus?* Deutor. 32. 29. *Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent.*

EXECRATIO est, qua malum alicui imprecamur; talis est illa D. Pauli. *Percutiat te Deus, paries dealbate.* David in Psal. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum.* Job quoque diem nativitatis suæ execratur his verbis: *Pereat nox, in qua natus sum, & dies vertatur in tenebras.*

COMMINATIO terrorem incutit metu futuri mali; seù malum ipsum per Hypotyposim prædicat, seù nuda, & simplici declaratione prænunciat. Amos 6. *Væ, qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: Optimates, Capita populorũ, ingredientes pompaticè domum Israel.* Et Matth. 23. 13. *Væ vobis, Scribæ, & Pharisæi Hypocritæ, qui clauditis Regnum Cœlorum ante homines.*

CONQUESTIO est, qua quis vicem suam doles,

let,& lamentatur,aut de alio queritur.David (1) *Heu mihi,quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar,multum incola fuit Anima mea.* Abacuc 1.*Usquequò,Domine, clamabo,& non exaudies? Vociferabor ad te,vim patiens, & non salvabis?*

INCREPATIO, seù OBJURGATIO, Factum vel dictum minùs rectum reprehendit, & castigat.D.Paul.ad Corinth. 4. 7. *Quid habes, quod non accepisti? Et si accepisti,quid gloriaris,quasi non acceperis?* Idem Corinth. 1. *Audet aliquis vestrùm habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos,& non apud Sanctos?*

LICENTIA, vel ut rectiùs alii, LIBERTAS, Græcè PARRHESIA,illa est, qua Orator ea, quæ gravia,vel periculosa dictu videbantur,præfidenti animo,& magna libertate pronunciat,vel commonendi,vel obiurgandi causa; Sic D. Paul. (2) *Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me judicari oportet, &c. Cæsarem appello.*

Ferè periculum est in hac Figura, ne offendatur Auditor;idcircò præmuniri eam juvat,ac mitigare aliquo remedio, quod multiplex esse solet.Vel enim veniam licentiæ petimus,ut: Ignoscite,Auditores,si asperè non nihil,& acerbè loqui videor:Dei res agitur, &c. Vel dicimus,invitos id nos facere, ut: Nollem hoc dicere; neque enim ultrò ad id enunciandum animus sese meus accommodat;sed dicendum est tamen.Vel Amorem nostrum priùs testamur, seù dolorem ob delictorum frequentiam, & gravitatem; ut: Scio molestum vobis,& onerosum fore, quod dicam; sed officiosi Medici est malè sarctum vulnus ferro patefacere,ut sanet. Item: Indignemini quantumcumque libet, ò peccatores: dolor, quo affi-

(1) *David Psalm.* 119. (2) *Actor.* 25.10.

cior ex effrænata vestra peccandi libidine, peccatorumque non toleranda gravitate, silere me non patitur, fari cogit.

EMPHASIS est, quæ altiorem præbet intellectum, quàm quem verba per se ipsa declarant. Duplex est: Altera, quæ plus significat, quàm dicit: Altera, quæ id etiam, quod non dicit, significat. Prior est in illo D. Petri: *Tu mihi lavas pedes?* Ubi illa Verba, Tu, Mihi, Emphasim habent, quasi diceret: Tu, qui Magister, Creator, & Dominus, mihi vilissimo homuncioni, & peccatori miserrimo pedes lavas? Posterior est, si de Goliath Davidica funda percusso, atque in Terram prostrato dicas: *Jacuitque immensam per humum*; quo prodigiosa eius corporis moles significatur.

Non desunt, qui Emphasim à Figurarum cœtu reiiciant.

RETICENTIA, seu OBTICENTIA, quam alii INTERRUPTIONEM, alii PRÆCISIONEM appellant, Græci APOSIOPESIN, ea est, qua Sententiæ inchoatæ pars aliqua præciditur, ità tamen, ut intelligatur. Vel: Reticentia est, cùm abrupto sermone, quod reticemus, Auditorum animis æstimandum, aut suspicandum relinquimus.

Affectum quandoque ostendit hæc Figura, ut in illo Psalm. 6. *Anima mea turbata est valde: sed tu, Domine, usquequò?* Reticetur hìc: Auxilium differs, vel aliud quid simile.

Aliquando nullum indicat affectum; ut si dicas: Utinam liceret hodie fœdam, atque horrificam Dæmonis formam Peccatorum aspectui obiicere: ut eorum quisque agnosceret, quali sese Domino miserè per peccatum mancipaverit. Cerneret quidem monstrum horrendum, ingens, cui nec simile peperit Libya, nec Fabulæ somniarũt æquale. Caput informe, minax, proceris, ac tortuosis cornibus armatum, sibilantium vipera-

perarum capillirio obtectum: facies tenebricosa, nocte ipsa jam tetrior, torvis, ac trucibus oculis, sanguine consperfis, hinc inde scintillantibus: Ore distorto, atque immodicè aperto, tetrum ignem, ac pestiferam mephitim ab imo exhalante. Parco pluribus; jam enim video vos tremefactos ad hæc prima lineamenta monstruosæ immanitatis. Quid si reliqua longè horribiliora recenserem? Quid si non picta rei imago, sed res ipsa vestris oculis obversaretur?

Hæc de Tropis, & Figuris, quantum ex gravibus, & selectis Authoribus colligere potui. Cæterùm in hac Materia tanta est Authorũ controversia, tàm multiplex omniũ sentẽtia; ut si de Troporum, & Schematum numero, nominibus, & natura Scriptores consulas; nullus ab alio non discrepet, omnes ad invicem dissentiant. Idque, ut benè docet Cyprianus (1) quia, quæ de Tropis, & Figurarum ornamentis præcipi possunt, valdè minuta sunt, & exilia: Idcircò de eis disputatio non solum dubia, & incerta; sed controversa etiam, plenaque dissentionis semper fuerit. Neminem igitur reprehendi oportet: Et ut tutò quis in hac re incedere dicatur, satis est, si gravis alicujus Scriptoris vel authoritati, vel rationibus incumbat.

In adhibendis autem tàm Troporum, quàm Figurarum luminibus habendum est præ oculis illud Quintiliani, nempè quòd (2) *Sicut ornant Figuræ opportunè posita, ità ineptissima sunt, cùm immodicè petuntur.*

(1) *Cypr lib. 3. cap. 30. propè finem.* (2) *Quintil. lib. 9. cap. 3.*

De Aptè dicendo.

ARTICULUS III.

AD Elocutionis dignitatem pertinuit Troporum,& Figurarum ornatus; Ad eamdem etiã spectat Aptè,atque appositè dicere,de quo superest,ut in præsenti agamus.

Aptè dicere,idem est,ac Orationis faciem, seù dicendi formam, vel Characterem, vel Stylum, Personæ,tùm dicenti,tùm audienti,necnon rebus ipsis,de quibus dicitur, prætereà loco, tempori, cæterisque circumstantiis accommodare; quod clarè expressit Cicero,cum ait: *Non omni Causæ, neque Auditori,neque Personæ, nec Tempori congruit unum Orationis genus*. Hoc est autem præcipuum illud Prudentiæ opus,quod in Oratore desideratur; & hàc præsertim de causa, Rhetoricam dicendi Prudentiam appellavit Fabius.

Ut autem à Persona dicente incipiam, etsi ad Oratores omnes in universum pertineat, ut (1) Modestiam,Humanitatem,Charitatem, communis salutis studium, & ardens veræ Pietatis desiderium in dicendo præseferant; Jactantiam, Ingenii ostentationem, atque omnem ambitionis suspicionem fugiant;nihilque dicant, quo Auditores offendi iure possint,hoc est (2) nihil insolenter,aut arroganter,nihil inverecundè, aut petulanter; nihil contumeliosè, aut sordidè; nihil scurriliter,aut abiectè; nihil tandem licenter,aut indecenter,& vitiosè dicant; Non omnes tamen unus,idemque Orationis Character decet. Senex gravitatem servet in dicendo, in redarguendo libe-

(1) Granat. lib. 5.
(2) Granat. lib. 5.

berior sit. Juveni, vivaciori, ac jucundiori stylo uti licuerit; cautum verò in obiurgandis vitiis, præsertim quæ contrà castitatem sunt, esse oportet. Raro ad Mulieres sermonem vertat; quod ubi quandoque contigerit, gravitate alloquium non careat. Episcopus, vel superior Prælatus, graviorem in concionando sermonis habitum induat, & Charitatem, paternamque curam, & providentiam in suis verbis declarare satagat; Quod à D. Chrysostomo in Exordiis suarum Concionum factitatum legitur. Sic & Regularis Orator, liberiùs in vitium tonet; nec solum peccati fugam suadeat, sed ad perfectionis studium Auditores excitet, atque hortetur. Par ratio de aliis Oratoribus, quibus, pro varia singulorum conditione, & circumstantiis, variè formandus est sermo, ut aptè dicendi ratio servetur.

Pro diversitate quoque Audientium variè sermo tractandus. Rudes, & agrestes homines erudiri expectant; ideò simplici, & demisso stylo cum his loquendum. Exempla, Parabolæ, Similitudines, & alia, quæ rem penè sensibus subiiciunt, adhibeantur; Nec Verba, etiam tritiora, modò non sordida, quandoque despiciamus. Ex Figuris eligimus eas, quæ ad docendum, delectandum, & aliquando ad terrendum valent.

Longè aliter cum Eruditis, Nobilibus, & Principibus Viris, quorum delicatæ aures sublimem, elaboratam, & leporibus conspersam orationem postulant.

Præter hæc, alia dicendi methodo cum Sacris, piis, Divinarumque rerum studio, & contemplationi addictis hominibus, quos duriores, & asperiores obiurgationes non decent (gravant enim, nisi contaminent) Alia cùm Profanis, Divinæque Legis contemptoribus, & in omnia scelera sine Dei metu ruentibus, quos fortiter arguere, & us-

usque increpare licet, uti convenerit. Demum ità debet prudens Orator Sermonem suum Auditoribus accommodare; ut eorum conditioni, captui, & necessitati per omnia consulat.

Nam de Rebus, primò quidem videndum est, ad quod Genus Causarum pertineat res ipsa, de qua loquimur, ut debitum ei characterem affigamus.

Tria sunt Causarum Genera, in quibus versatur Ecclesiastes. Primum est Didascalicum, seù doctrinale, quod in docendis Auditoribus, eorumque ignorantiæ tenebris dilucidâ doctrinæ traditione illustrandis occupatur. Secundum est Demonstrativum, quod in Laude, aut Vituperatione versatur. Tertium est Deliberativum, quod Suasionem continet, vel Dissuasionem.

Triplex etiam est Character, seù Stylus, seù Idea, seù Forma, aut Genus loquendi: Sublimis Humilis, Mediocris.

Sublimis, quem Gravem, Magnificum, Altiloquum, Grandem, & Summum vocant, ille est, qui constat (1) ex Verborum, & Sententiarum magna, & ornata constructione. Singularem Verborum delectum Character hic postulat; vult enim verba ampla, & magnifica, & in rebus atrocibus auditu ipso aspera, & veluti confragosa. Longiores periodos, & flexuosam Orationis formam, quæ multa cæsa, & membra includit, desiderat. Magis autem rerum ponderibus, & sensuum affectibus attendit, quàm Verborum Ornamentis, quæ, prout occurrunt, rapit potiùs, quàm exquirat. Graves amat Sententias, utpotè de Deo, & rebus Divinis, de rebus Civilibus, aut Naturalibus. Sententiarum lumina non excipit, nisi graviora, & vehementiora, cuiusmodi sunt Hyperboles, Hypotyposes, Prosopopœiæ, Conversiones, & simi-

(1) *Plutarch. apud Causinum.*

milia. Amplificationibus magnificis Orationem attollere, atque omne genus affectuum, pro rei, natura, quam tractat, excutere, & concitare nititur. Interdum tonat, & fulminat; nec tantùm in sensus irrepit, sed irruit; & instar rapidi torrentis (ut Farnabii similitudine, & verbis utar) hibernis nivibus, aut montano flumine aucti, pontemque aggeremque indignati, sternit agros, saxa devoluit, viam, ubi non invenit, sibi pandit, secum Auditorem, vel contrà nitentem, fert, cogitque ire, quò rapit. Huius Grandis Characteris Exempla sint: Hierem. 2. *Obstupescite Cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer; duo enim mala fecit Populus meus, &c.* Isai 1. 2. *Audite Cæli, & auribus percipe Terra, &c.* D. Paul. 2. Corinth 6. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, &c.* Granditer in eas, quæ formam pigmentis colorant, vel potiùs decolorant, invehitur D. Cypr. (r) his verbis: *Tu te existimas impunè laturam tàm improbæ temeritatis audaciam, Dei artificis offensam? Ut enim circa homines impudica, & incesta fucis lenocinantibus non sis; corruptis, violatisq; quæ Dei sunt, peior adultera detineris. Quòd ornari te putas, quod putas comi; impugnatio est ista Divini operis, prævaricatio est veritatis, &c.*

HUMILIS dicendi forma, quæ tenuis, sivè attenuata, & submissa dicitur, gaudet usitato, & communi sermone; qui tamen Purus, Perspicuus, Evidens, & Probabilis esse debet. A numerorum vinculis liberior est. Curiosam conglutinandi Verba diligentiam non amat; & omnem insignem ornatum Stylo Grandi relinquit: non tamen inculta, aut sicca, non enervis, aut arida esse debet. Acutas, & crebras sententias deside-

rat-

(r) *D. Cypr. apud Granat.*

rat: Tropis utitur, & figuris, at verecundiùs, & parciùs; Translationibus autem frequenter; minùs tamen, quàm Genus dicendi Magnificum. Huius formæ exemplum dat D Paul. (1) *Dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem non legistis? Scriptum est enim quoniam Abraham duos Filios habuit, unum de Ancilla, & unum de Libera: Sed qui de Ancilla, secundum carnem natus est: Qui autem de Libera, per repromissionem: quæ sunt per Allegoriam dicta*. Sic & in Epistola 1 ad Timotheum. 5. 1. *Seniorem ne increpaveris; sed obsecra ùt patrem*; *Juvenes, ut fratres; Anus, ut matres; Juvenculas, ut sorores in omni castitate, &c.*

MEDIOCRE, sivè temperatum dicendi Genus, est medium inter Magnificum, & Humile, atque ità in confinio utriusque constitutum; ut nec acumine posterioris, nec fulmine utatur superioris; sed submissius aliquantò sit Grandi, uberius, & robustius Infimo. Huic omnia dicendi ornamenta conveniunt, præsertim quæ ad delectandum valent; Est enim in hoc Genere nervorum vel minimum, suavitatis vel plurimum. Figuris floreat, Translationibus utatur crebriùs, sed modestis. Amat mediocres sententias, Digressiones amœnas. Dispositio sit facilis, & plana: Verba suaviter, & numerosè fluant. Exemplum huius Ideæ habetur ex D. Paul. (2) *Obsecro itaque vos, Fratres per Misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, acceptabile obsequium vestrum, &c.* Temperatè etiam loquitur D. Ambros. dum professis Virginibus proponit Matrem Domini, tamquam sub exempli forma, quod moribus imitentur: *Virgo erat, non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu syncerum adulteraret*

af-

(1) *D. Paul. ad Galat.* 4. 21. (2) *D. Paul. Rom.* 12. 1.

affectum. Corde humilis, verbis gravis, animi prudens; loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens: intenta operi, verecunda sermonibus, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere, &c.

Pro diversis igitur Causarum Generibus, variandus est Character. nam sicuti non omne Personarum Genus, unus, idemque ornatus decet; sed alius Principi, alius Privato, alius Militi convenit; ità & diversa materia diversos habitus, diversos exigit Characteras.

Humilis dicendi forma Genus Didascalicum decet.

Mediocris, & temperata Generi Exornativo, necnon & Didascalico, præsertim coram Eruditis, convenit.

Sublimis, & Gravis in Deliberativo adhibetur.

Nec solùm in diversis materiis, ad diversa Causarum Genera pertinentibus, diverso utimur sermonis vultu; sed etiam in eadem Oratione, pro diversitate rerum, quæ occurrunt, varianda est Sermonis Idea. Res Magnæ stylum appetunt Grandiorem. Modicæ Mediocri exponendæ sunt Charactere. Parvæ Humilem dicendi formam desiderant; Ut enim ait Cic. Is eloquens erit, qui poterit parva submissè, modica temperatè, magna granditer dicere.


At pro diverso quoque Oratoris munere varianda est eiusdem Orationis facies; ut scilicet cùm docet, submissè; cum delectat, temperatè; cùm flectit, granditer dicat.

Singulæ etiam Orationis partes diversam exigunt sermonis Figuram. Proœmium sit temperatum: Propositio, & Divisio simplices, & perspicuæ: Narratio, prout rerum, quæ narrando exponuntur, natura expostulat: Confirmatio subtilis: Epi-


lo-

logus,& Amplificationes,acres, & graves.

Vide nunc quot, & quæ præ oculis habenda sint,ut aptè, & appositè dicatur. Persona scilicet Dicentis,& Audientis, Genus causæ, Partes Concionis, Oratoris officium, & rerum dicendarum Natura. Adde & circumstantias Loci, Temporis, &c. De quibus nihil monendum puto, ne Oratoris Prudentiam lædam potiùs, quàm juvem; atque hic ab Elocutione pedem referimus.



De



De Pronunciatione.

PARS QVARTA.

VEntum est tandem ad eam Eloquentiæ partem, quæ in dicendo maximè dominatur, estque ad omne momentum persuasionis efficacissima. Ea est Pronunciatio, quam Cicero quamdam Corporis Eloquentiam, & quasi Sermonem nominat. Alii Animam, & Vitam Orationis vocant; languent enim singula Orationis membra, & iacent velut emortua, sine sensu, sine motu; nisi vivæ Vocis spiritu animentur, & significi Gestus virtute excitentur.

Est autem Pronunciatio, sivè Actio (utroque enim nomine appellatur) *Ex Rerum, & Verborum dignitate, Vocis, & Corporis moderatio.* Ità Cic. Vel, ut Alii: *Est Vocis, Corporisque apta pro Rerum, Affectuumque varietate, conformatio.*

Partes ergo Pronunciationis duæ sunt: Moderatio Vocis, & Corporis motus: illa aures, hic oculos afficit, per quos duos sensus omnis ad animum penetrat Affectus.

A Voce Pars hæc Rhetoricæ dicitur Pronunciatio; à Gestu nominatur Actio. De utroque breviter dicendum; at de priori priùs, hoc est de Voce; posteriùs de Gestu.

De Voce.

CAPUT I.

A Generalibus ordimur, atque ea primùm de Voce præcepta statuimus, quæ ad universam Orationem pertinent; mox ea speciatim, quæ singulas Orationis partes respiciunt.

Generaliter de Voce hæc iubentur, ut vox sit CLARA, FACILIS, CONSTANS, FLEXIBILIS, APTA.

CLARA Vox dicitur, quæ mediocri subtilitate aerem secans, aures distinctè, & integrè attingit: hanc amat Auditor. Obtusam verò, surdam, rusticanam, raucam, & bubulam vocem fastidit, & aversatur.

Ad Claritatem pertinet, ut distinctè, & articulatè loquamur, non turbidè, & confusim. Verba singula integrè proferantur: nulla eorum pars devoretur, aut destituatur: non distorqueatur, aut delumbetur ulla. In pronunciando autem debet esse aliqua divisio, ut resumatur Spiritus, in membris, & incisis; & in fine Periodi tota voce aliquantisper quiescendum. Huic autem virtuti, ut obest summa celeritas, quæ facit, ut sine distinctione dicatur, sed uno spiritu, atque uno impetu omnia percurrantur; ità nimia tarditas, qua numerari syllabæ potiùs, quàm pronunciari videntur, tædium, somnum, frigus, & oscitationem Auditoribus creat.

Facilis Vox erit, si non multo nisu compulsa erumpat, sed facilè, & liberè prodeat cum suavitate quadam, non quidem fœminea, aut affectata, sed virili, & naturali. Hæc Audientium aures mulcet, ac detinet; aspera verò, clamosa, & querula vox angit, vexat, & cruciat: ideò monet Fabius, ut vox ultrà vires urgenda non sit, præser-

tim

tim iis, qui imbecilliori voce laborant; hi namque rarò debent eam attollere, sæpè deprimere, sæpè flectere.

At CONSTANS esse Vox debet, hoc est firma, & perpetua, quæ numquam à laudabili sono excedat; sed recte pronunciandi æqualitatem ad finem usque retineat.

Ad Constantiam, & firmitudinem Vocis quatuor conducunt, ut scribit Author ad Herenniū. 1. Ut sedata, ac depressa Voce principia dicamus; læduntur enim arteriæ, si acri clamore exasperentur, antequam leni voce permulsæ fuerint. 2. Ut longiusculis intervallis distinguatur sermo; nam recreatur vox respiratione, & arteriæ reticendo acquiescunt. 3. Ut vox crebrò immutetur. 4. Ut acutas exclamationes vitemus.

Flexibilis etiam Vox esse præcipitur, nempè ut alias, atque alias mutationes, flexus, & figuras induat; nec uno semper, eodemque tono rigidè perseveret, qua continuata cantilena (Monotoniam Græci vocant) nihil ingratius; sed pro rerum, affectuumque varietate variè, & per gradus intendat se, & remittat; lenem, & asperum, vehementem, & tenerum, gravem, & acutum sonum efficiat; nec aliter Oratoris effingentis libitum sequatur, quàm mollis cera digitos.

Postrema Vocis conditio, seu virtus est, ut sit APTA, tùm Loco, tùm Auditoribus, tùm etiam partibus Orationis, Rebus, Affectibus, & Figuris.

In amplo, & spatioso loco voce utendum est intensiori, ut sufficienter ab omnibus audiatur; in angusto autem, & brevi spatio si vox intendatur, dura, & insuavis fiet Audientibus. Ad hæc videndum paucine sint, apud quos verba facimus, an complurimi: illos remissa, hos concitatiori voce alloqui oportet.

Inspicienda quoque est Auditorum qualitas,

& conditio. Cum Rusticis paulò duriori voce loquendum est; Apud Urbanos, & Cultos viros loquela sit suavior. Doctos, & Eruditos gravis, & decora Vox decet; Indoctos remissior, & facilior.

Venio nunc ad specialia de Voce præcepta, quæ Partibus Orationis singulis, tùm etiam Rebus ipsis, Affectibus, & Figuris conveniunt.

In Exordio, nisi aliquo vehementiori affectu constet, Vox sit submissa, & verecunda; valet enim plurimùm ad conciliandos animos.

In Introductione parumper Vox insurgat.

Narratio simplicem, & apertam vocem requirit, familiarique sermoni jam proximam; nisi aliud in his, quæ narrantur, poscant Affectus.

Confirmationi Vox est varia pro varietate rerum, quæ ad probandum afferuntur.

Argumentatio plerumque agilior, acrior, & instantior.

Digressiones ferè lenes, dulces, & remissæ.

Amplificationes gravi, & magniloqua voce sunt pronunciandæ.

In Peroratione, ubi præcipuum Amplificatio locum habet, & Affectus sunt concitandi, Vox sit excitatior, & vehementior; Pronunciatio aliquantò celerior.

Res magnæ, cum maiestate quadam, humiles demisfsè, mœstæ flebiliter, lætæ iucundè, atroces incitatè, mediocres moderatè recitentur.

In Ira Vox sit atrox, aspera, ac densa, & respiratione crebra. In miseratione, & mœrore, flebilis, interrupta, flexibilis, & cantui proxima; nam, ut ait Cic. *Etiam Orbos, Viduasque videas in ipsis funeribus canoro quodam modo proclamantes.* In lætitia sit plena, simplex, hilaris, fluens. In metu, ac verecundia, submissa, hæsitans, & abiecta. In mansuetudine lenis, in audacia erecta: & ne in lon-

gum

gum abeam. (1) *Vox attollitur incitatis affectibus, compositis descendit, pro utriusque rei modo, altiùs, vel inferiùs.*

Cùm autem venitur ad Figuras, observabimus, quæ Vox sit propria Interrogantibus, Admonentibus, Increpantibus, Irridentibus, &c. eamque imitari studuerimus.

De Gestu, seù Actione.

CAPUT II.

Vocem sequitur Gestus, sivè Actio, de qua prævia hæc monita habentur.

I. Ut Gestus Voci, & rebus ipsis dicendis ingeniosè conformetur, nec ab eis ullo modo dissentiat.

II. Ut nec ante Vocem sit Gestus, neque post Vocem; utrumque enim deforme.

III. Ut decorum, & gravitas in Actione servetur: non enim omnia, quæ Comœdis conveniunt, conveniunt & Oratori.

IV. Ut moderatè Gestibus utamur, & potiùs Actio sit parca, quàm superabundans.

V. Denique ut Actionem ità instituamus, ne artem redolere videamur.

Præcipuæ Actionis Partes in sex præcipuis Humani Corporis partibus consistunt. Sunt autem 1. Truncus Corporis, 2. Caput, 3. Vultus, 4. Humeri cum Brachiis, 5. Manus, 6. Pedes. De Singulis breviter.

TRUNCUS CORPORIS Naturalem rectitudinem servet, sivè stet, sivè sedeat; talisque rectitudinis situs modesta gravitate non careat. Mo-

(1) *Fab. lib. 11. cap. 3.*

veatur autem moderatè, graviter, & venustè. Anterior pars dicentis mediam Auditorii partem ferè semper respiciat: cùmque in alterutrum latus aliquando declinat, medium spatium omninò non deserat; sed mediocriter, & ex parte tantùm id fiat.

CAPUT etiam sit rectum; non obstipum, aut in cervicem reflexum; non demissum, atque deiectum, quod discipulo convenit apud Magistrum: At nec rigidum, & immobile, quo superbia, & mentis quædam barbaria ostenditur. Cùm autem vel annuimus, vel repudiamus, vel aversamur, vel minamur, vel indignamur; motio Capitis sit levis, & moderata.

VULTUS conformetur rebus, quæ dicuntur. In lætis vultum induamus hilarem, in mœstis tristem, in seriis severum, in placidis lenem, &c.

In ipso Vultu non minimum valet frons, plurimum oculi, non minus supercilia, quæ (1) oculos formant, & fronti imperant.

FRONTIS Corrugatio mœstitiam, & severitatem; Exporrectio clementiam, & hilaritatem indicat.

SUPERCILIA composita, & remissa, indicium præbent hilaritatis; deducta tristitiæ; sublata superbiam notant, iram, & arrogantiam; demissa verecundiam, subducta, vel etiam inæqualia severitatem: Altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso, crudelitas indicatur.

OCULI, quos Animæ ministros, & indices vocant, ut laudabilem Actionem exhibeant, sint modesti, mediocriter aperti, sibique constantes: non arrogantes, & feroces, non immodicè diducti, & dilatati, non tremuli, & nictantes. At nec etiam otiosi, & stupidi, ita ut in eodem loco immobiliter

(1) *Fortunatianus, lib. 3. cap. ult. Fab. lib. 11. cap. 3.*

ter affigantur; sed modestè, & graviter per universum cœtum spatientur, omnesque intueantur, præsertim eos, quos alloquimur; nisi aliter Indignatio, & aversio suadeat. Ad Verba, & res componantur, & aptentur: sint clari in rebus secundis, nebulosi in tristibus, torvi in minis, ardentes in iracundia, in metu aperti, in dolore languidi, &c.

HUMEROS nimiùm allevare, aut contrahere, non decet; hic enim Gestus servilis est. (1)

BRACHIA liberè, expeditè, & concinnè manibus subserviăt, modicèque proiiciantur, maximè in Affectibus vehementioribus. Ut autem Brachium (2) extensum, vel elevatum, potentiam, & facultatem ad rem gerendam, conficiendamque significat, estque authoritatis, roboris, & victoriæ; ità contrà Brachium cohibere est pudoris.

MANUS præ cæteris partibus valent in Pronunciatione; non modò enim loquentem adiuvant, (1) sed & ipsæ penè loquuntur.

De Manibus hæc habeto:

Manus in Exordio parcæ sint ad Gestus, & sine ullo Gestu prima Periodus pronuncietur; ubi autem incaluerit Oratio, increbrescat & Gestus.

Optimè, ut docet Fabius (1), Manus à sinistra parte incipit, in dextera deponitur.

Manus sinistra (1) numquam sola gestum faciat: sed frequenter accommodet sese dexteræ, ad quam actio præcipuè pertinet: & cum dextera sola gestum exercet (3) sinistra suprà pulpitum quiescat. Cùm verò utràque manu Gestum exhibemus, semper (4) in agendo dextera prin-

cipa-

(1) *Fab.lib.11 cap.3.* (2) *Causin.lib.9. cap.9.*
(3). *Paul.Eccles.lib.5.cap.3, art.5.* (4) *Farnab.in suo Indice Rhetorico.*

cipatum obtineat, subserviat sinistra.

Manum supra oculos tolli, infra pectus demitti, ut indecorum damnatur. (1)

At nec (2) manibus invicem allisis frequentiorem plausum edere, aut pulpitum frequentiùs, & duriùs verberare ab ullo ex Oratoribus probatur.

Cæterùm Manus ipsæ Res & Verba prosequãtur; licet, ut Fabius (1) monet, ad Sensus magis, quàm ad Verba sit Gestus accommodandus.

Sivè ergo rogamus, manus junctas attollimus.

Sivè de nobis loquimur, (1) manum pectori admovemus.

Sivè alios alloquimur, (1) manum ad eos extendimus.

Sivè dolemus, & tristamur, (2) manus inter se pectinatim iunctas, vel ad supremum pectus erigimus, vel ad cingulum demittimus.

Sivè auxilium, opemque præstamus, (3) manum porrigimus.

Sivè tumultum componimus, & silentium indicimus, manum protendimus. (3)

Sivè aversamur, (2) Vultu in sinistrum latus converso, manus extensas, & mediocriter elevatas, in oppositam partem coniicientes, rem odiosam repellimus.

Sivè iuramus, manũ dexteram attollimus. (3)

In Pœnitentia, vel ira (1) compressa manus pectori admovetur.

In Admiratione, manus modicè supinatas, palmis ad Populum conversis, pectori admovemus, caputque leviter in dorsum reflectimus. (2)

Plura de manuum officiis, ac Gestibus, qui velit, adeat Quintilianum, Erasmum, & alios, qui fu-


(1) Fab lib. 11. cap. 3. (2) Paul. Eccles. lib. 5. cap 3. art. 5. (3) Causin. lib. 9. cap. 9.

fusiùs de hac re: interim aliquid de Pedibus.

In Exordio à medio rostri non discedat Orator. ità à magnis Viris factitatum vidimus. Probationem incipere poterit à latere sinistro; In reliqua autem Oratione huc, illuc cursitare vitiosum est.

Pulsu pedum interdum utimur, cùm vehemens ira, vel dolor vel rei, aut alicuius Personæ contemptus indicatur: rarò tamen, modestè, & prudenter huiusmodi supplosio fiat Hæc breviter de quatuor Sacræ Rhetoricæ Partibus dixisse sufficiat.

FINIS.



INDEX

ALPHABETICVS

Cùm Rerum, tùm Verborum, quæ in Ecclesiastica Rhetorica continentur.

A

Alle-

Ana-

B

C

Com-

* *
*

D

E

F

Ge-

G

H

Ido-

I

L

M

N

Obscu-

O

P

Deus

Q

R


S

ma

V

FINIS.

AP-



APPENDIX.

DE

Nonnullis Orationum Generibus tùm in Oratoriis privatis, tùm in Spiritualibus Exercitiis tempore Missionum haberi solitis.

PRÆLOCUTIO.

POst habitum de Ecclesiastica Rhetorica sermonem, non inutile, aut inane duximus de quibusdam Orationum generibus, quæ tempore Missionum fieri occurrunt, quæque in privatis Oratoriis, statis diebus, haberi solent, Tractatũ subtexere; in quo formam sequimur, & methodum, à Sacerdotibus sæcularibus Congregationis sub titulo Puritatis Matris Dei (cui & nos citrà meritum adscripti sumus) in ejusmodi Orationibus adhiberi consuetam. Et quoniam scribimus ad Tyrones, ideò, ut nostri moris est, pauca, & breviter: prolixitas enim in docendo fastidium creat; perceptarum rerum memoriam distrahit, ac destruit: multitudine verò præceptorum, ut benè D. Augustinus, magis obruitur mens, quàm adjuvetur.

De Meditationibus, sivè Orationibus Meditativis.

CAPUT I.

A Meditando hujusmodi Orationes sortitę sunt vocabulum; per has enim aliquam ex Evangelii, aut Fidei nostræ veritatibus, vel ex Sanctorum gestis unum aliquod dilucidè, familiariter, ac seria verborum pronunciatione exponens Orator; locum cedit Auditori, ut, quod auribus captat, mente percipiat, sedulò perpendat, & altiùs figat in corde.

Duo sunt Genera ejusmodi Orationum; vel enim probando rem proponimus considerandam; vel ponderando. Singula distincto sermone prosequemur.

De Meditationibus, quæ fiunt probando.

§. I.

ORationes huiusce Generis sex habent partes.

1 Prooemium,
2 Animorum præparationem per Dei Præsentiam,
3 Probationem,
4 Moralitatem,
5 Motionem doloris,
6 Praxim.

De

1 *De Procemio.*

PRoœmium non sit nimis longum, sed potiùs breve.

Quot autem, quibusque modis fiat Procemium, habetur jam copiosè satis expressum in 2.p.Rhet. cap. 1. per totam sect. 2. quarè ne dicta iterum dicamus, illuc lectorem remissum facimus.

In calce Exordii apponenda est Propositio, seù Thema, in suas partes, vel puncta distributum; ut & Orator clariùs rem explicet, & Auditor meliùs retineat. Quomodò verò invenienda, efformanda, & dividenda sit Propositio, jam diximus in 1.p. cap.1 sect.1.2.3.& 4.

2 *De Animorum Præparatione per Dei Præsentiam.*

IN hac 2. parte, ubi Deum præsentem, velut Judicem pro tribunali sedentem, vel ut Patrem ad veniam invitantem, vel aliquo alio sub conceptu à re tractanda nõ alieno, ob Auditorum oculos posuimus, profunda cordis humilitate, ac devoto mentis affectu illius Maiestatem adorãdam curemus. Inde revocabimus in memoriam Naturæ nostræ vilitatem, ac (ut ità dicam) nihileitatem, anteactæ vitæ crimina, peccatorum turpitudinem, & gravitatem, quarum causa coram Deo apparere demeremur. Et per hæc, aut alia ejusmodi, quæ in cap.8. 1. Partis Rhet. Sect.2. de commovendo dolore propofuimus, Contritionis actum excitare conabimur.

Quòd si ex ipsiusmet rei, de qua habendus est sermo, visceribus motiva Contritionis eruantur, Oratoriæ Arti magis inhærebimus; Artis enim præceptum est, ut omnes partes Orationis
cum-

eumdem ſcopum colliment.

Poſtremò ad Divinæ Gratiæ lumen invocandum Auditoribus hortatis,ut quod auribus auditur,mente percipiatur , interpoſita etiam ad id B.Virginis, aliorum Sanctorum , quos ſibi quiſque patronos conſtituit , & Angeli noſtri Tutelaris interceſſione;partem hanc obſignabimus.

3 *De Probatione.*

ANtequam ad Propoſitionis probationem deveniatur,ſi qua vel obſcuritate,vel ambiguitate laboret Propoſitio , explananda eſt, & dilucidanda. Quod ſi ex aliqua ſuppoſitione dependeat;brevi aliqua ratione, vel S. Scripturæ , aut S.S.Patrum teſtimonio ſuppoſitum Propoſitionis erit conſolidandum. E. G. Si de atrocitate ignis Inferni ſermonem habueris ; probandum priùs eſt id, quod ſupponit Propoſitio , hoc eſt , eſſe ignem in Inferno ad immortalem Damnatorum pœnam. Verum tamen eſt quod in iis,quæ ſunt de Fide,probatione non eſt opus;ſed ſatis eſt tantùm innuere, quòd ſint de Fide.

Mox Propoſitionem probandam aggrediemur.Probatur autem Propoſitio argumentis deſumptis à locis tùm inſitis,tùm remotis, ut videre eſt in 1.p.Rhet cap.4. Sed cùm Orationes,de quibus loquimur, familiares ſint; ſtudeat Orator familiares habere locos à Similitudine , à Diſſimilitudine, à Comparatione, à Contrariis , &c. Nec non verba *S.* Scripturæ, Salvatoris noſtri tùm dicta,tùm facta, Sententias S. S. Patrum , Exempla , Hiſtorias,&c.

Si Thema noſtræ Orationis extractum ſit ab Evangelio;diligenter videndum eſt, an ex contextu ipſiuſmet Evangelii argumentum aliquod

erui

erui possit ad rem probandam; pulchrum enim admodùm est Evangelii Propositionem ejusdem Evangelii verbis confirmare.

Cùm aliquod S. Scripturæ testimonium citamus, nequaquam sola eius interpretatione, quæ vulgari sermone fit, contenti simus; quod multi faciunt, qui totidem verbis latina patrio sermone reddunt, sed danda est opera, ut aliquid in testimonio adducto observatione dignum ponderemus. Quod fit, quando vel emphasim, quæ in uno aliquo verbo latet, explicamus; vel metaphoram aliquam excutimus: Interdum etiam sententiam, breviter comprehensam, dilatamus, aut amplificamus. Hæc Granatensis in sua Eccl. Rhet. l.4. cap.4.

Meminerit etiam Tyro ex Divinis Scripturis, & S.S. Patrum sententiis, eas eligere, à quibus uberiora, & efficaciora moralitatis argumenta deduci possint.

In enarrandis historiis, & exemplis, quæ rei confirmandæ inserviunt, ab Ovo usque ad mala, ut aliàs diximus, rem prosequi non oportet; sed ea solummodò attingantur, quæ ad rem nostram faciunt, & ad facti notitiam necessaria sunt.

Gentilium Philosophorum, vel Poetarum sententiæ, si afferantur, numquam immisceantur Sacris; sed vel præcedant, vel postponantur; & cùm postponi occurrerit, utamur hoc, aut simili transitionis genere: E.G. Sed quid est, quod Sacrorum Scriptorum testimonia ulteriùs adducere nitar; cùm vel ipsi Infideles in mediis errorum tenebris degentes, veritatem hanc optimè perspexerint? &c.

Nam quoad Ordinem, & dispositionem Argumentorum, necnon & transitionum genera, quibus ab uno argumento ad aliud, atque ex uno ad aliud punctum transgredi licet, videatur caput 5. & 6. 2.p. Rhet.

Illud

Illud tandem admonendus Concionator est, ut tam in hac parte, quàm in alia proximè sequenti, crebris interrogatiunculis Auditores urgere, & excitare non desinat: quod à D. Joanne Chrysostomo, tractandorum animorum artifice peritissimo, factitatum legitur.

4 De Moralitate.

Moralitas sequitur ad Probationem Propositionis, imò & deducitur ab ipsamet Probatione: eadem enim motiva, quæ ad rei confirmationem adhibuimus, deserviunt ad Moralitatem, quin etiam ad excitationem affectuum.

Est autem Moralitas, qua mores hominum examinamus, utrum veritati à nobis probatæ, atque exaggeratæ respondeant, nec ne. Excurrimus per ea vitia, quæ suprà assertæ veritati adversantur; vel per eas virtutes, quæ ad eandem veritatem se conformant. Monemus, arguimus, increpamus; In quo valent multum sequentes Figuræ: Conversio, Interrogatio, Emphasis, Licentia, Exclamatio, & aliæ id genus, de quibus in 3 p. Rhet.

In Moralitate tria hæc advertat Ecclesiasta.

Primum, ut in aliquo vitio obiurgando, ad unũ solummodò personarum statum se non coarctet; sed per plures, si fieri potest, divagetur.

Secundum ità vitium arguat in communi, ut in ejusdem etiam species quandoque descendat. Caveat tamen, ne nimiùm ad particulare deveniat, & eas circumstantias attingat, quæ alicuius famam lædere possint; sic enim Verbum Dei redderetur odiosum.

Tertium denique ut rigor, & asperitas in objurgando à Charitate moderamen capiat, & lenimen.

5 *De Doloris Affectu excitando.*

PRavis Auditorum moribus correptis, eorumdemque vitiis exaggeratis,contritionis actum excitare studebimus; In quo illud sciendum, non clamoribus,ut alibi dictum est, & fragosa verborum congerie; sed rationibus,& gravioribus sententiis affectum commoveri; ideò curet Orator, antequam inventa disponat, sibi ad ultimum reservare,quæ ad excitandum dolorem efficaciora videbuntur. Quòd si iisdem motivis,quibus probata res est, uti velit ad concitandum doloris affectû;ea ex illis eligat, quæ majorem ad hoc vim habitura existimaverit. Sententias S.S. Patrum si adhibeat,sint breves,& aculeatæ. Exemplum aliquod si adducat,summam rei paucis exponat: festinetque ad id se restringere, quod movendis animis conducit. Cætera ad Affectus ciendos pertinentia videantur in 1.p.Rhet.cap.8.

6 *De Praxi.*

VLtima Pars Orationis Meditativæ est Praxis. Ea verò est,qua Orator viam aperit, & modum docet,quo virtus,ad quam adhortatus est,sit assequenda;vitium, à quo deterruit, sit fugiendum; Secus, ut ait Granatensis, esset lucernam emungere,nec tamen oleum, quo ali, & sustentari possit, infundere.

Postquam igitur ad Eleemosynæ studium,E.G. Auditorem accendisti;da breviter modum, quo Eleemosyna utiliter sit facienda: Ut scilicet liberaliter; Nam *qui parcè seminat parcè & metet*.Ut hilariter; *Hilarem enim datorem diligit Deus*. Ut occultè juxtà illud Salvatoris,& Præceptoris nostri: *Nesciat sinistra tua,quid faciat dextera tua*.

Sed antequam ad Praxim deveniatur, Propositio-

tionis nostræ Veritas iterum in memoriam Auditorum revocanda est,& aliqua alia ratione, vel testimonio,si lubet, confirmanda, ut admoniti priùs quid amplectendum, quid fugiendum sit, ediscant inde,quomodo præstare id valeant.

Hæc Praxis non itá distincta á cæteris aliis partibus jubetur,ut in aliqua ex illis inseri quandoque non possit;potest siquidem in ipsa Affectuum motione immisceri. V.G Cùm Actû doloris in Audientium cordibus excitasti, ubi de Vitio fugiendo, vel Virtute amplectenda propositum insinuas, modum etiam insere adhibendum, ut adimpleri possit,quod proponitur. Hoc autem tùm præcipuè faciendum est, cùm vel tempus ad hanc sextam Partem distinctè prosequendam non suppetit, vel lassos ab audiendo Auditores prudens Orator agnoverit.

De Meditationibus, quæ fiunt ponderando.

§. II.

MEditationes ad id genus pertinentes,non elaborant primo loco Auditoris judicium convincere, ut inde moveatur voluntas, excitentur Affectus; sed per has Orator diversas alicuius Mysterii, vel Sacræ Historiæ veritates ponderans, & in singulis aliquantulum immorans,varias animi motiones excitare satagit. Fiunt ergo hoc modo:

Primùm adhibe Procemium; sed Procemium in hoc genere debet aliquantò latiùs se extendere,quàm cætera Exordia.Cùm enim tot in hac specie Meditationis sint propositiones, quot veritates ponderandæ assumuntur,debet Exordium ità latè patere, ut ad omnia consideranda respi-

ciat,

tiat, & singulis quoquo modo conveniat, Itaque quod in reliquis Exordiis vitiosum est, si sine communia, itaut pluribus Orationibus, & argumentis aptari queant, in hujusmodi Exordio ars est, & virtus, à pluribus, & diversis propositionibus non dissentire.

Hoc Exordium desumi potest.

Vel à laude Sacræ Scripturæ.

Vel ab utilitate, qua plurimùm ex ejus factis audiendis & mysteriis ponderandis afficimur:

Vel ab attentione, quam talis Mysterii, vel Historiæ enarrandæ dignitas postulat;

Vel à circumstantiis, sivè Personæ tùm dicentis, tùm audientis, sivè loci, sivè temporis, &c. ut in 2. p Rhet cap 1. sect 2 Art 7. adnotavimus.

Vel demum ab aliis fontibus, & argumentis, quæ solerti Oratori videbuntur consentanea.

Post Exordium Mysterium, vel Historiam enarrandam aggredimur, & pedetentim in ejus expositione procedentes, ea loca gradatim tangimus, quæ ponderatione digna sunt: in his singulis immoremur paululùm, veritatem examinantes, discutientes, ponderantes. Utemur aliqua brevi amplificatiuncula: descendatur ad moralitatem, quæ sit etiam brevis; & interim per aliquam Figuram, ad permovendos animos idoneam, eos affectus excitare curemus, qui ad rem pertinere videbuntur.

Vide hìc tamen, ne plura loca, quàm tria, vel ad summum quatuor, ponderanda suscipias; vix enim per angustiam temporis licuerit paucissima de singulis dicere, & ad excitandos affectus, quod præcipuè quærendum est in hujusmodi Meditationibus, aliquid proficere.

Curandum pariter, ut ea loca seligantur, quæ ad majorem Audientium profectum, & utilitatem valent; quæque ad mores componendos. &

vitia exstirpanda præ cæteris juvant.

Meditationem claudat Praxis; ea verò fit ad omnes commemoratas virtutes, vel ad earum aliquam præcipuam, animos excitare, impellere, inflammare; à contrariis autem vitiis deterrere

De Sermonibus.

CAPUT II.

Methodum, quâ familiares Sermones aptè construi possint, adiicimus, ne vel in hoc genere Artis documenta desiderentur.

Familiaris Sermo sex partibus contexitur, nempè Introductione, Propositione, Probatione, Moralitate, Affectuum motione, & Praxi.

De Introductione.

PRoœmio non utimur in Sermonibus; sed brevi Introductione, de qua consulendum est cap. 3.2. Partis Ecclesiasticæ Rhetoricæ; ubi tùm de Introductionis essentia, tùm de locis, ac fontibus, unde erui potest Introductio, non insufficienti sermone actum est: Quare ne Crambem recoquamus ad tædium, dicta hìc iterum dicere prætermittimus.

De Propositionis Probatione.

AD probandam Propositionem iis præcipuè locis utamur, quæ innuimus suprà cap. 1. §. 1. num. 3. hoc est, Verbis S. Scripturæ, Salvatoris nostri tùm factis, tùm effatis, sententiis S.S. Patrum, exemplis, comparationibus, similitudinibus, &c. hæc enim omnia in familiariter dicendi genus magis quadrant; ideòque familiaribus sermoni-

bus

bus congruunt magis. In reliquis attendantur, quæ ibidem adnotata reliquimus.

De Moralitate, Affectuum motione, & Praxi.

MOralitas sit brevis, nec multa cum animi contentione, seù verbis admodùm concitatis in arguendo, vel objurgando vitia, virtuti proposita adversantia, fiat; sed sit mitis, lenis, & officiosa; quæque potiùs de suis Auditores vitiis commoneat, quàm increpet. Exclamationes non sint acres, & asperæ; & inter Figuras adhibendas tàm in moribus recensendis, quàm in Affectibus excitandis, familiares habeantur Admiratio, Conversio, Obsecratio, Optatio, Commiseratio, &c.

Quoad Affectus verò, præter amorem, & desiderium virtutis amplectendæ, odium, & fugam vitii declinandi, alios animi motus excitare non est moris in hoc genere Orationis.

Praxis, hoc est ratio, & modus, qui ad virtutem assequandam, vitium evitandum, adhibendus sit, insinuetur in ipso Proposito, ut diximus cap. 1. §. 1. num. 6.

De quibusdam Oratiunculis ad varios Animi Affectus commovendos, Italico Sermone (Sentimenti) nuncupatis.

CAPUT III.

MOris est apud pios Missionarios, ubi locum aliquem devenere pro Missione agenda, pla-

teas, & loca publica excurrere, prævia Christi Cruce affixi imagine, & nonnullis Conciunculis Missionem indicere, hortarique omnes, ut Christi Crucis pedissequi, templum ineant ad Concionem audiendam.

Solent etiam noctu Urbem sivè Oppidum pervagari, & fervidis Oratiunculis terrorem in animos peccatorum incutere, dolorem de peccatis excitare, cum proposito de vita in meliorem frugem corrigenda.

Rursus, post habitam in Ecclesia Concionem, fieri assolet Disciplina, quæ ut fervidior, ac fructuosior evadat; Oratoris est, brevi efficacium verborum contextu corda succendere, & doloris stimulos pectoribus infligere.

Tandem pro conciliandis eorum animis, qui gravi simultate, lethalique inter se odio diffident, mos est Missionariis brevem Orationem ultimæ Concioni subtexere, qua nedum inimicitias ponere; verùm & ad publica pacis signa, mutuosque amplexus venire eos cogant.

De his omnibus Orationibus sermonem habebimus: sed antequam singulas attingamus, nonnulla præmittere oportet, quæ singulis communia sunt, & necessaria, ea verò sunt:

MATERIA, FORMA, FINIS.

MATERIA, sivè Argumentum, tam earum Orationum, quæ fiunt interdiu ad indicendam Missionem, & convocandum Populum quàm earum, quæ fiunt noctu ad terrorem, & dolorem de peccatis excitandum, sunt quædam cantiunculæ, ad id previò cantari solitæ; vel aliqua ex Catholicæ Fidei Veritatibus: Earum verò, quæ fiunt pro inflammandis animis ad Disciplinam, vel est aliquis ex versiculis Psalmi Miserere, vel eruitur ex visceribus ipsius Concionis, paulò ante habitæ ad Populum. Quæ autem fiunt pro conciliandapace, ha-

habent pro materia idem argumentum, quod in ultima Concione assumptum est.

Cujuscumque Generis sit materia, sedulò curandum, ut in hac totus sermo noster versetur, nec extrà fines argumenti divagetur Oratio. E.G. si Rigorem Christi Judicis Cantiuncula, seù versiculus Psalmi innuat, vel de eodem in suprema Concione actum sit; ab hoc quidquid dixerimus alienum esse non debet.

Forma est modus ipse, quo materiam, sivè argumentum exponimus, dilatamus, exaggeramus, &c. ut inferiùs patebit.

Finis autem est id, ad quod intenditur, sivè sit id Missionem annunciare, & Populum ad Ecclesiam cogere, sivè metum, & dolorem de peccatis noctu excitare, sivè ad disciplinam animos succendere, vel pacem conciliare; & in hoc studendum est, ut omnia dicenda ad finem propositum collineant. Nunc de singulis præfatarum Orationum generibus quatuor sequentibus Paragraphis agemus.

De iis Orationibus, quæ fiunt ad indicendam Missionem, & Populum ad Ecclesiam cogendũ.

§. I.

Hæ Conciunculæ aliquantò cæteris prolixiores fieri debent. Quoad structuram verò, seù formam hæc observentur.

Primùm breviter Cantiunculæ summam, & argumentum propone: quod feceris vel Exclamando, vel Arguendo, vel Commiserando, vel Interrogando, vel per aliquam aliam figuram. V.G. sit hæc Cantiuncula: S 3 Tee-

Peccator, che sia di te,
Quando avanti à Dio sdegnato,
Ti sarà rimproverato
Quanto mal da te si fè?

Per Exclamationem dices: O deplorandam peccatorum hominum stultitiam, qui per nefaria scelera effrænes ruunt; vitam undique pudendis criminibus fœdant; & tamen, quod facere non puduit, id paucis quandoque innotescere erubescunt! Aderit, ò infelices, aderit dies ille, cùm ob oculos universi Orbis omnia peccata vestra constituentur à Deo, &c.

Per Reprehensionem: Expergiscere ad harum vocum tonitruum, O qui dormis in strato tuæ iniquitatis. Tu, inquam, cuius vita, si Ethnica non sit, Christiana quidem haud est: cujus mores vel diabolus ipse perhorrescit, siquidem insuetis, & nefariis modis sacras Evangelii leges temerè dilaceras, Christi sanguinem proculcas, Dei nomen impiè blasphemas. Veniet hora, cùm tu, qui vel clam, vel paucis coram hominibus, Deum hìc inhonoras, in conspectu omnium hominum, & Angelorum inhonoraberis à Deo, &c.

Per Commiserationem: Eheù! Quantoperè misereor ignorantiæ tuæ, peccatrix Anima! Nescis misera, heù, nescis, quanta in fine sæculi, in ultimo illo furoris, & districtæ ultionis die te maneat confusio, cùm omnia peccata tua in prospectum hominum, & Angelorum producentur à Deo, &c.

Per Interrogationem: Dic, quæso, Quicumque tu es, qui lucem fugis, & tenebras quæris, ne videantur ab hominibus mala opera tua. Credis ne futurum aliquando, ut quidquid sceleris clam, & in abscondito, nemine vidente, deprehendente nemine, perpetrasti, ante tribunal Domini coram universo Mundo manifestetur? &c.

Proposito hoc modo Cantiunculæ argumento, explanabis, & amplificabis paulatim, attingendo aliquam, vel aliquas circumstantias rei V.G. Manifestabuntur peccatorum crimina à Deo, à creaturis, ab ipso peccatore, &c. coram justis, & peccatoribus, &c. cum pudore, & dolore, &c.

Uti licebit in his Amplificationibus aliquâ sententia, modò sit brevis, efficax, nec nimiùm frequens, item exemplo aliquo, vel similitudine; sed in recensendis exemplis summa tantùm rei attingatur, & quod ad rem nostram non facit, prætereatur.

Amplificationem sequatur Moralitas, quæ ex iisdem rebus, & circumstantiis, in Amplificatione attactis, eruitur. V.G. dixisti, peccatorum crimina prodenda esse in die Judicij maxima cum infamia, & pudore peccatoris, &c. Moralitas sit hæc: V.G. Quænam igitur vecordia, ut velis æternam tunc ignominiam pati, quòd nolis parum hîc verecundiæ in Confessione sustinere? Peccasti coram Deo, & non erubuisti; & erubescis fateri homini peccata tua? Non puduit quandoque detegere Medico occultum malum tuum, & pudet revelare Confessario lethale vulnus Animæ tuæ? Proh miser! &c.

Moralitati aliquando subnectitur actus Doloris, pro quo hæc habeto. Moralitate jam peracta, proponitur remedium generale; nempè ut ad Christum peccator confugiat, qui præsens est, non ut severus Judex, sed ut misericors Pater; non ut puniat, sed ut parcat; non ut detegat peccata, sed ut peccata deleat per nostras lacrimas, ne illorum recordetur ampliùs. Exaggerabitur hîc Dei Amor, Pietas, Patientia, &c. E contrà peccatoris ingratitudo, qui tanta benignitate abuti voluit, in eo præcipuè, quòd peccata per Confessionem abolere noluerit, & per hæc, atque alia motiva, &c.

Mo-

Moralitatis visceribus deducta, doloris affectum excitare conabimur.

Ad Propositum denique de peccata quàm celerrimè confitendo, vel si quid est aliud, quod proponi oportuerit, adde praxim, quæ erit, ut Christum sequatur, Ecclesiam adeat, verbum Dei audiat, &c.

Hæc eadem methodus, & forma servanda est, cùm vice Cantiunculæ, aliqua ex Catholicæ Fidei veritatibus in argumentum assumitur.

De iis, quæ fiunt noctu, ad terrorem incutiendum, & dolorem de peccatis commissis excitandum.

§. II.

HUjusmodi Oratiunculas quàm brevissimas esse oportet, non congerie verborum, aut rerum multitudine refertas; sed stimulis, & aculeis plenas.

Primò igitur Veritas, in Cantiuncula contenta, proponitur modo, quo suprà.

Mox breviter explicatur, & exaggeratur per aliquam circumstantiam, ut superiùs dictum est. Non adhibentur rationes, aut Scripturæ; non exempla, vel similitudines; sed nudè veritatem exponemus verbis gravibus, & aculeatis, quæ animos pungant.

Postremò venitur ad Moralitatem, in qua arguimus, increpamus, minamur, ita ut terrore afficiatur auditor.

Et quoniam, quæ in fine audiuntur, firmiùs hærent in animo, studeatur in calce Moralitatis sententiam aliquam apponi, quæ peccatoris memo-

riæ

riæ insideat, & in cogitationem suæ salutis, Animæque discriminis eum sæpè mox revocet, ac trahat Habeto ideam in apposito exemplo:

Peccator, che sia di te,
Quando avanti à Dio sdegnato
Ti sarà rimproverato
Quanto mal da te si fè?

Audi, Peccator, & expavesce: audi, & contremisce. Veniet dies, cùm ad horrendum tribunal Christi Judicis adductus, de omnibus, quæ contrà Deum egisti, dixisti, cogitasti, judicaberis. Miserum te! quid ages, cùm aperientur libri, & Deo revelante, creaturis testantibus, temet alta voce confitente, patescent omnibus peccata tua? Stabis den isto vultu, confusa facie, genis rubore suffusis, cùm totius Mundi oculos in te unum defixos aspexeris. O qui dolor, cùm memineris potuisse tantam verecundiam vitare, uni tantùm homini peccata confitendo, & noluisse! Quæ animi angustia, cùm videris ideò flagitia tua non taceri, quia tacuisti! Quid igitur consilii capies? Quid deliberas? Unum elige ex duobus: Aut peccatum aperiat Confessio: Aut peccatum exprobrabit Confusio. Vel parumper hìc coram Confessario pudendum; vel æterna cum infamia coram Deo, Angelis, & Hominibus erubescendum.

Est & alia Forma simplicior, ac brevior: adhibeturque à Missionariis, cùm plures, ac plures id generis Oratiunculæ per breve temporis spatium fieri occurrunt; & si juxtà leges, & methodum præscriptam singulæ fiant, tempus non suppetit. Hæc posterior forma talis est: Primò nudè, & breviter proponatur Veritas aliqua nostræ Fidei. Mox paucis, & simplicibus verbis adiiciatur aliquis sensus, qui ab Auditore perceptus, dum ejus postea memoriæ obversatur, timorem pariter, doloremque excitandi vim habeat. Exemplum sit a.

Ex-

Expergiſcere,peccatrix Anima, & perpende paululùm in quanto periculo verſeris. Ira Dei, cui per peccatum infenſa es,diſtricto tibi gladio imminet deſuper: aperto ſubter ore Infernus te voraturus expectat: Diabolus ipſe, ſtricto ad collum laqueo,præfocare te contendit.In hoc lacrimabili ſtatu ſi tibi dormienti mors obveniat,de te,miſera,quid fiet?

De iis,quæ fiunt pro Diſciplina facienda.

§. III.

EAdem Methodus,quam docuimus ſervandam in Orationibus, quæ fiunt noctu ad excitandum dolorem de peccatis, & metum, procedit etiam in iis, quæ habentur in Eccleſia poſt Concionem pro Diſciplina facienda;quarè non eſt cur dicta iterum innovemus.

Unum habeo,quod Tyronem hic moneam : Si aſſumatur in argumentum aliquis ex verſiculis Pſalmi Miſerere,ille potius eligatur,qui cum argumento Concionis præhabitæ conveniat. E.G. Si ſermo fuit de Rigore Chriſti judicaturi in fine ſæculi,verſiculus ſit:*Averte faciem tuam à peccatis meis , &c.* Vel ille alius: *Ne proiicias me à facie tua, &c.* Cùm enim reperiantur Animi de audita veritate non dubii, & metu, ac terrore graviter affecti;facillimo negotio ad compunctionem, & lacrimas impelluntur.Si verò ab ipſa prævia concione motivum deſumatur, illud ex multis, à Concionatore allatis,curetur eligi,quod Audientium animos in concione magis affeciſſe viſum eſt:Eundem enim animi motum per eadem motiva innovare difficile haud erit.

De

De iis, quæ fiunt pro concilianda pace.

§. IV.

Ex hoc Genere Orationis fructus non modicus attenditur; ideòque cura non mediocris in ejus structura adhibenda est. Et quidem quo ad modum.

1. Repete strictim, & summatim Assumptum præhabitæ concionis.

2. Illud idem applicabis iis, qui lethale odium fovent in animo, asseverans in eos præcipuè casurum supplicium illud, quod in concione ostensum est.

3. Probabitur aliquo efficaci Testimonio *Sacræ* Scripturæ vel S.S. Patrum.

4. Confirmatur Exemplo.

5. Transitur ad Moralitatem, quæ ex visceribus ejusdem testimonii, & exempli deducitur.

6. Tandem subeat motio affectus: Et in hac parte debet Ecclesiasta totis viribus contendere, omnesque Oratoriæ facultatis artes adhibere, ut obduratum Ultoris animum concutiat, emolliat, ac flectat. Præter alias Figuras, ad movendum appositas, utatur admonitionibus, & obsecrationibus. Invitet ad publicæ reconciliationis fœdera odio dissidentes, excitet retardantes; idque non semel, sed iterum, atque iterum per interiecta spatia. Proponat insuetam voluptatem, & gaudium, quo Christi cor affecerit, qui prior assurrexerit ad publica remissionis officia præstanda. Contrà verò Diaboli invidiam, qui ne Deo, &c. Angelis ejus gaudium hoc fiat, nititur omnibus modis opus tam speciosum inhibere. Quid plura? Eousque instandum, donec quis assurgat, quem ve-

venientem Concionator benignè excipiat, inimici nomen, inimicitiæque causas addiscat, & si nulla alteri infamia inde sequatur (tunc enim palam ulteriùs procedendum non esset; sed privatim, & secretò procuranda foret reconciliatio) inimicum nomine compellet, præsentemque in mutuos alterius complexus ire faciat. Interim hortetur Populum, ut læta voce laudes exolvat Deo, Beatæque Virgini eius Matri. Exemplo res fiet apertiorr.

Divinæ justitiæ mos est, Peccatores æternis cruciatibus mancipandos, in limine Mortis affligere, hoc equidem supplicii genere, ut qui à Deo per peccata semper recessere, careant in morte subsidio Divinæ Gratiæ, nec spe ulla veniæ erigantur ad Divinam Misericordiam exorandam, quare derelicti à Deo, & spe salutis destituti, inter amarum angustiæ pelagus dolorum tempestate jactati, & ad Syrtes desperationes eiecti, miserè pereant, vaticinante Isaia, *Computrescent ut pisces sine aqua morientur in siti*; hoc est, præ defectu Gratiæ, ut glossat Eminentissimus Hugo. Veritas hæc satis liquet, tùm rationibus, tùm exemplis in prævia concione allatis; quare non est, cur in ea roboranda tempus inutiliter absumatur. Superest modò videndum, cui nam præcipuè genus hoc vindictæ reservetur. Audi ò qui odium geris in pectore, & contremisce, &c. Tibi signatè hoc supplicium intentat Dominus. Te præ cæteris manet hæc pœna. *Qui vindicari vult* (Eccles. 28.1.) *à Domino inveniet vindictam*. At quonam tempore? eo scilicet, de quo Deuteron. 32. 35. *Mea est ultio, & ego retribuam in tempore*; hoc est mortis, ut explicat Caietanus. Æstuat nunc tibi animus ad vindictam? Fratri tuo parcere non vis? Ne tum quidem parcet tibi Dominus; sed odium pro odio, ultionem retribuet pro vindicta. *Mea est*

ultio,

ultio,& ego retribuam. Ah quoties afflicti mortis angustia, ingruente peccatorum multitudine, irruente Gehennæ metu, clamabitis ad Dominum, ut misereatur vestri: sed non exaudiet: Isai. cap. 1, 15. *Cum extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis; & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Ubi Cornelius: estis sanguinarii, crudeles ad vindictam, acres ad odia. Lugebitis, miseri, iterabitis suspiria, &c. Sed non exaudiet. Odium, quo nunc exardescitis ad internicionem inimici, erit impedimento, quominus ad miserationem, & veniam flectatur Deus. Adest horrificum exemplum de nobili quodam viro, ut refert Paulus Aringo, qui diutino prosecutus odio sodalem suum, numquã adduci potuit, ut offensam remitteret. Correptus gravi morbo, & morti jam proximus, Confessarium accersivit, fassus est peccata sua, rogavit, flevit, ingemuit: sed ad veniam promerendam nõ pervenit. Quin, deferente ei Sacerdote Eucharisticum Viaticum, præsentem iram Dei expertus, rugiens, ac frendens, evomuit Animam in manu Diaboli. Sic moritur, qui, dum vixit, odio vixit, & vindictæ, &c. Visne tu hanc eandem mortem obire? Perge odisse inimicum, Pacem tenue, esto ferreus ad reconciliationem &c. Sed si lubet potiùs beatam mortem occumbere, cur odia non deseris? cur non reconciliaris fratri tuo? &c. Felicem te, si iniuriæ causas oblitus, surgens amplexaberis præsentem inimicum tuum! peccatorum tuorum obliviscetur Deus, teque moriẽtem suos excipiet in amplexus. Eadem tibi sors obtigerit, quæ Moysi, qui, quòd alacriter pepercit offensoribus, mortuus est in osculo Domini. Deosculabitur te morientem Deus, si offensori tuo pacis osculum infixeris. Age ergo, dilectissime, surge ad pacem, consurge ad veniam, &c. Si Dei ultio-

nem in hora mortis effugere velis,si salutem diligis tuam,si beatè mori concupiscis, surge alacris ad publica reconciliationis officia: hoc Angeli, de Cœlorum foribus intuentes, cupidi expectant; hoc Deus ipse ardenter anhelat: unus dæmon hoc aversatur,unus cōtrà nititur,&c. Expectabo, ut videam utrum Deo,& Angelis eius,an dæmoni obsequi Christianus malit. O millies felix,qui prior accesserit, ut tanta Christi cor voluptate afficiat! Eia quid ulteriùs moraris,generosa Anima,&c. Jam surgit,jam venit.&c. Vivat Jesus Authorpacis, & concordiæ Rex: ululet, ac frendeat in invidia sua Diabolus, &c. Accede, fili, accede verus Christi assecla. O quàm invideo sorti tuæ! Quàm beatam mortem obibis! Da, ut nomine Jesu amplectar te; sic & ille amplexabitur te in hora mortis tuæ,&c.

De modo Catechizandi.

CAPVT IV.

Catechesis, Græcum nomen, idem apud nos sonat,ac Rerum Sacrarum doctrinam, non per literas traditam; sed vivæ vocis ministerio auribus commissam. Hinc Catechizare, quòd est viva voce docere,atque instruere: & Catechumeni dicebantur ii,qui ad hunc modum Sacris Mysteriis initiabantur.

Multiplex esse potest Materia,circà quam versatur Catechesis: multa enim habemus, quæ tùm necessitate medii, tùm necessitate præcepti sunt credenda, multa,quæ facienda sunt.

Forma itidem, seù methodus Catechizandi multiplex est pro multiplicitate materiæ Catecheseos. Nos verò duplicem Catechizandi modum

dum hic tradimus, alterum, qui Pueris convenit, & hunc Catechismum parvum appellamus; alterum, quo Populus à suggestu publicè instruitur, & hunc Catechismum grandiorem dicimus. De singulis duplici paragrapho.

De Catechismo parvo.

§. I.

Catechesis hæc habet pro materia, prima, & præcipua Fidei rudimenta; docentur enim pueri modum signandi se Cruce, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, &c. Item agit de Christiani nomine, ac Signo Crucis, per quod Christianus dignoscitur; de Sanctissimæ Trinitatis mysterio, de Incarnatione, & morte Christi, de Corona Gloriæ Justis reposita; de pœna verò æterna iniustis parata; nam, ut ait Apost. Accedentem ad Deum oportet credere quod Deus sit, & quod remunerator sit. Quæ omnia exponenda sunt quantum ad potiora, & magis necessaria capita, prout puerorum captus tulerit. Demum traditur modus confitendi, & accedendi ad Sacram Communionem; in quo etiam ætatis ratio habenda est; alia enim maturi consilii viros, alia brevis intelligentiæ pueros decent.

Formam verò, sivè modum Catechizandi in hoc genere, facilè per se noverit, vel mediocri prudentia instructus Catechista. Erudiendi sunt pueri, rudes, & captu exiguo; idcircò modus erit planus, & facilis, sermo simplex, & familiaris, domestico colloquio quàm simillimus. Non desint percontatiunculæ cum brevibus responsionibus, ad modum dialogi; & cùm pueros ipse Catechista interrogat, laudet benè respondentes, moneat, & dulciter instruat errantes. Excitet timidos, &

pudibundos proposito aliquo præmiolo: æmulationem ingerat tardis,& inertibus.Curet demùm omnibus iis modis,ac mediis uti,quæ puerili ætati instituendæ proficua,suaserit Prudentia,ad quã si necessaria Charitas accesserit;nihil erit, quod in hoc opere tàm utili, tàm necessario, tàmque Deo accepto desideretur. Quod utinam frequens haberetur hodie àb Ecclesiasticis,nec splendidioribus concionandi formis plerique se dederent; non enim essent tot parvuli, qui quærentes panem,non haberent,qui frangeret eis.

De Catechismo Grandiori.

§. II.

AD instructionem Populi, ut diximus, secunda hæc species Catecheseos adhibetur. Ejus Materia multiplex esse potest; agi enim solet de Præceptis tùm Dei,tùm Ecclesiæ; De Christianæ Religionis mysteriis,de Sacramentis Evangelicis, de Virtutibus, & Vitiis, &c. Nos tantùm ad Præcepta Divina, & Ecclesiastica eam restringimus; hæc enim sunt, quæ doceri Populus tempore Missionum frequentiùs solet.

Formam igitur,& Methodum Catechizandi in hac materia proponimus, quæ talis à P. Amadeo Baiocensi in suo Paulo Ecclesiast. præscribitur. p.2. cap.2. art.3.

1 Proponitur Præcepti substantia.
2 Distinguuntur Species Præcepti,& Partes.
3 Stabilitur Præcepti Obligatio.
4 Examinatur usus,& Praxis.
5 Clauditur Epilogo.

Ne ex abrupto Catechesis hæc inchoetur,præmitti potest breve aliquod Exordium,sivè Introductio,quæ præparandis animis inserviat. Desu-

mi-

mitur autem, vel à compendiosa Præcepti pridie explicati repetitione, subtexendo prædictis dicenda: vel à necessitate tractandi Præceptum, de quo aggredimur; vel ab utilitate, quam affert Præcepti explicandi intelligentia; Vel tandem ab aliquo aliquo motivo, quod provido Catechistæ videbitur idoneum.

Substantia Præcepti, hoc est quid sit res præcepta, proponitur, eamque exponimus, Legem nō obscurè, aut contortè, sed clarè, syncerè, & fideliter declarando; in quo juvant præ cæteris aliis locis Definitio, Notatio nominis, Descriptio, &c.

3 Species Præcepti, hoc est, partes in præcepto contentæ distinguuntur. V.G. Si agatur de honore Parentibus exhibendo; designari oportet Personas, sivè Status, quibus talis honor debetur, ut sunt, Parentes, Episcopi, & Pastores, Magistratus, Domini, &c. item quid jubentur filii præstare Parentibus, nempè Amorem, Reverentiam, & Subsidium.

4 Præcepti obligatio ostenditur ex iis motivis, & rationibus, quæ obligationem inducunt. Deinde qualis sit hæc obligatio, sub mortali ne, an sub veniali: præterea casus, in quibus graviter, seu leviter violetur Præceptum.

5 Examinabitur usus, & Praxis explicati Præcepti, hoc est docebimus modum Præcepti exercendi, propositis mediis ad id conducentibus; In quo etiam excusationes, & difficultates, quæ contrà observantiam Præcepti adduci possunt, recensentur, & tamquam frivolæ refutantur.

6 Adhibetur Epilogus, qui duo efficiat 1. breviter, & summatim recenseat, quidquid in tota Catechesi fusiùs dictum est, ut auditarum rerum memoria instauretur. 2. Brevem moralitatem subtexat, omnesque ad plenam præcepti observantiā hortetur, & suadeat. Juvat etiā summope-

rè novo aliquo, & idoneo exemplo Catechesim claudere; illud enim est, quod plebem rudem magis afficit, magisque ad Præceptum servandum exstimulat.

Hucusque de forma tractandæ doctrinæ in hoc secundo genere Catecheseos: breviter modò monendus est Catechista, ut si fructuosam Populo suam instructionem velit, tria hæc meminerit. 1 Unde doceat. 2 Ad quid doceat. 3 Quos doceat.

1 Docetur à Pulpito, non è Cathedra, in Ecclesia, non in Gymnasio; quapropter subtiles quædam minutiæ, inutilesque Scholasticorum disceptationes prorsus negligantur; nec nisi necessaria, & quæ frequentiùs in Populo accidere solent, explicentur.

2 Docetur ad Populi institutionem, non ad proprii ingenii, scientiæque ostentationem; ideò curandum, ut lux potiùs fiat alienæ ignorantiæ tenebris, quàm propriæ lucis, hoc est laudis, quæ tenebras æternæ confusionis inducit, manifestatio quæratur.

3 Docentur denique inerudici, & rudes; idcircò pro suo captu instruendi sunt; nec plura, quàm eorum indigentiæ, statui, & conditioni conveniant, attingi oportet. Non omnia, quæ scitu digna sunt, sciri à rudibus decet; imò utilius quandoque est, si nesciant; ne per eam notitiam aditum sibi faciant ad peccata, quæ non noverunt. Hanc utilissimam doctrinam, à probo hujusce ætatis Viro, Animarum directore peritissimo, sæpè commemoratam, & Confessariis enixè commendatam, semper in suis instructionibus ob oculos habeat Catechista.

***

De Stylo, ac Elocutione Catecheseos Grandioris.

STylus Grandioris Catechizandi formæ debet esse simplex, & familiaris; verba usitata, propria, & perspicua. Et quoniam æqualis, & idem semper docendi modus tædium creat Auditoribus; curet Catechista non solum docere, verùm etiam delectare, quod fiet; Si Figuris ad docendi Genus idoneis utatur, quales sunt Occupatio, Subiectio, Communicatio, Sustentatio, Concessio, Distributio, &c. Si res salibus, & leporibus conditas intermisceat; Si demum Exemplis, Similitudinibus, & Symbolis, quæ Intellectui non modò, sed & Memoriæ sunt adiumento, suam illustret, ornetque Pædagogiam.

Methodus Recitandi Rosarium.

CAPUT V.

SUperest ad coronidem huiusce Opusculi, ut Methodum de publicè in Ecclesia recitando Rosario delineemus. Congregato ad id in Ecclesia Populo, postquam in suggestu, sivè aliquo editiori loco Ecclesiasta se locaverit, & Crucis signo se munierit; perbrevem introductionem præmittat ad Animos præparandos, & devotionis spiritum excitandum.

Introductio fieri poterit hoc modo;

1. Amplificetur talis Devotionis exercitium; vel quod præ cæteris Virgini sit acceptum; vel quod utilius sit Animabus nostris, & efficacius ad Divina beneficia promerenda; sivè quod omnibus aliis præstantius; per hoc enim ipsiusmet Ga-

brielis, Virginem salutantis, personam agimus, &c.

2. Exaggeretur attentio, & devotio, in primisque puritas mentis, quæ decet loquentem cum Virgine Puritatis Matre, hoc enim significat Ave, idest (1) sine Væ, à peccatis scilicet, quæ sunt veræ miseriæ, & vera mala, cor vacuum habere, si dignè purissimam Dei Genitricem salutare, eique nos, quo licet, modo conformare velimus. Quòd si publicè olim Nero indixit, ut suæ Matris nomen immundis meretricum labiis non proferretur; quantò magis cavendum, ne purissimum Mariæ nomen fœdæ mentis cogitatu, immundique oris prolatione commaculetur.

3. Monitus fiat Auditor, atque hortetur, ut prævio doloris actu conscientiam mundet; ità namque & gratum Virgini munus exhibueris, & ampla gratiarum dona in præstiti obsequii vicem ab ea receperis.

Mox ad explanationem Mysterii devenlatur.

Explanatio Mysteriorum.

IN Explanatione Mysteriorum teneatur hæc forma:

Primùm summa, & caput Mysterii breviter proponatur: Inde per Narrationem historiæ fusiùs explicetur: Eruatur in fine ex aliquo ipsius Mysterii loco Virtus aliqua, ad quam imitandam hortemur Auditores: auxilio demum Virginis, quæ in ea Virtute excelluit, ad hoc invocato.

Sit Exemplum de primo Mysterio ex Gaudiosis. (*Proponitur Mysterium.*) Primum hoc Mysterium.

1 *Adamus Brewnerus in Salutatione Angelica Coronata cap.4. §.2.*

rium Virginem, ab Angelo salutatam, nobis exhibet meditandam. (*Explicatur historia.*) Sola domi, curis vacua, & orationi intenta erat Virgo, cùm Gabriel Angelus missus est à Deo, ut Divinum Verbum ex ejus castissimis Visceribus mortalem formam assumpturum nunciaret. Ad Angeli salutationem, & verba, conturbata est Virgo: putabat enim absque suæ Virginitatis detrimento nequaquam posse id fieri. Ast ubi intellexit ab Angelo, hanc esse Dei voluntatem, quæ integrum Virginitatis florem, unà cum fœcundæ Maternitatis fructu servasset; protinus addidit: Fiat mihi secundum verbum tuum; Et Verbum Caro factum est. (*Eruitur virtus imitanda.*) Discamus hinc Divinæ numquam voluntati contradicere: ne in iis quidem, quæ impossibilia videntur factu; sed semper, & in omnibus Divinum beneplacitum sequamur, eique nostram mancipemus voluntatem: Quod ut facilius assequi liceat, (*Invocatio Virginis*) Virginis opem devotissimè imploremus, dicentes: Pater noster, &c.

De Narratione Miraculi.

Recitationem Rosarii claudat alicuius inauditi Exempli, seù Miraculi narratio; ut per hoc vehementiùs erga Dei Matrem afficiatur Populus, & per beneficia Clientibus suis à Virgine collata, excitatior fiat ad hoc tam præclarum, & fructuosum exercitium prosequendum. Sed antequam exordiamur narrationem, opus est aliqua brevi introductione, seù insinuatione, quæ desumi potest,

Vel à vi, & virtute, quam habet hoc devotionis genus obstringendi Virginem, ut exoret pro nobis à Filio quidquid orantes petimus;

Vel

Vel ab alacritate, qua nobis adest quacumque in necessitate clamantibus;

Vel à firmo æternæ salutis pignore, quod per quotidianum hoc exercitium polliceri nobis possumus, juxtà illud Bernardi: *Nedum difficile, sed impossibile est damnari illum, qui B. Virginem colit.*

Vel à potenti armatura, qua contrà hostiles incursus per hoc pii obsequii genus munimur, & de diabolo triumphamus:

Vel tandem ab aliquo alio motivo ex iis, quæ innumera ferè pio Oratori devotio ipsa suggesserit.

Illud autem præ cæteris aptius, & Arti magis consonum fuerit, si ex visceribus ipsiusmet Exempli, & rei narrandæ talis introductio eruatur, hoc modo: Videatur primùm in quo consistat vis miraculi, & auxilii genus à Virgine præstiti; & ad hoc, veluti finem, sivè thema per narrationem exempli, seù miraculi comprobandum, introductionem nobis paremus per aliquem ex iis fontibus, quos paulò ante expressimus, vel suprà commemoravimus, cùm de Sermone verba fecimus. Sit exemplum de quodam pio viro, ab irruptione Dæmonum in extrema suæ vitæ hora per Virginis præsentiam liberato. Aditum tibi feceris ad narrationem ità: Multa, quis nesciat? & dura sunt certamina, quæ, dum vivimus, a diabolo sustinemus; pugnat enim in nos assiduè fallaci temporalium rerum specie, mellita terrenorum bonorum esca, voluptariis nostræ carnis irritamentis, quæ omnia ut superentur, ò quanto labore opus est, quanto Divinæ Gratiæ subsidio! Plura tamen, & longè duriora sunt, quibus nos morituros impetit; tunc enim venit cum magna ira, videns quod modicum tempus sibi restat; ideòque quidquid insidiarum, & virium sibi est, totum in nos effundere

dere nititur. In quanto igitur periculo tunc versabimur? Quàm facile erit hosti succumbere, corpore languoribus prostrato, viribus morbo attritis, mente variis phantasmatibus distracta! Sed forti animo esto: Si Mariam tibi in Patronam elegeris, eique Angelicarum Salutationum rosas quotidie obtuleris, vires, & præsidium ad abigendos dæmones in illo extremo certamine tibi non deerunt. Ipsa veniet, ipsa tibi adstiterit, & veluti Sol nebulas, ingruentes inimicorum turmas præsentia sua fugaverit, uti accidit devoto cuidam viro, cuius exemplum narrare aggredior. Et statim narrationem incipias, quæ iis virtutibus floreat, quas narrationi necessarias diximus in 2. Parte Rhetoricæ.

FINIS.

